9 01

DE PARABASI,

VETERIS COMOEDIAE ATTICAE PARTE ANTIQUISSIMA.

SCRIPSIT

GUILIELMUS HENRICUS KOLSTER
PHIL. DR.

ALTONAE
IN LIBRARIA CAROLI BUSCH.

MDCCCXXIX.

In re publica Atheniensium cum essent multa pulchre instituta doctorumque virorum studiis digna, tum comoedia, quam veterem dicunt, omnibus iis, qui id agunt, ut naturalem populi indolem et ingenium cognoscant, minime est negligenda. Sunt enim quae ad nostra tempora perlata sunt ejus monumenta cum per se haud indigna quae tractentur, tum eam ob causam memorabilia, quod non alia re magis de vita privata edocemur, cujus quanta sit vis in ingenio instituendo conformandisque moribus, quanta in administranda re publica gerendisque rebus omnibus, non est quod dicamus. Sed non singula quaedam quasi fragmenta vitae privatae illa nobis ob oculos ponit, sed si quo studio perverso abreptos videret cives, si quae minus bene facta, non tecte perstringit, sed propalam notat. Ridendo illa judicum avaritiam et levitatem, ducum ignaviam et inertiam, magistratuum auri et imperii cupidinem, luxuriam denique divitum labantesque nobilium mores acerbe pertractat et a quibus rei publicae timet, studia frangit atque debilitat. Hanc ob causam magni saepe momenti est ad pernoscendam horum temporum historiam et rei publicae conditionem,

atque haud parva profecto utilitas ab ea ad historiam redundavit atque major etiam redundabit, si, quae in tenebris latent occultiora, illustrata et comparata fuerint. Neque ipsius comoediae historia indigna est, ad quam animum appellas. Vetus enim comoedia democratia usa matre ab hac rerum tractandarum sibi viam et rationem petiit, hinc sibi mores effinxit, cum hac et adolevit et floruit et interiit. Populi bono se doceri profitetur et quanta in plebem conferat beneficia identidem jactitans, si minus populi bono docetur, in populi tamen deliciis est. Hinc invidiosa illa Cleonis criminatio, invisam ei esse comoediam eosque, qui eam docerent, in jus vocari ab illo, Arist. Acharn. 377, hinc quod ille contradixisse narratur ab Aristophane, non plebi inimicos, sed ipsam plebem tangi, Acharn. 631. Non igitur tanta ipsi cum democratia intercedebat necessitas, ut quodcunque plebi placeret, qua prona res publica ad perniciem rapiebatur, Cleonis amentiam, quaque leges solvebantur, licentiam sibi tuendam susceperit: sed cum extra partium studium posita acerbe improbitatem et superbiam notaret, et proposito satisfecit, et auctoritatem tuebatur. Quare magnopere est jactura dolenda, qua praeter paucas Aristophaneas omnes perierunt comoediae, quas si fortuna servasset, rei publicae conditionem videremus, quomodo subinde mutata atque talis facta sit, qualem tum maxime videmus, cum ad plebis libidinem omnia fierent. Operae denique pretium est, fabularum structuram in disceptationem vocare, videmus enim eas mirifice esse comparatas. Tragoediae argumentum una actione contineri postulat Aristoteles et meliores certe tragoediae ita se habent; in comoediis autem hanc unitatem et

integritatem saepe desideramus, cum tenuissimis vinculis saepe contineantur. Prior pars Ranarum Aristophanis Bacchum facit ad inferos descendentem, ut inde Euripidem sibi petat, altera Euripidem cum Aeschylo de principatu certantem. Prior pars Vesparum Philocleonem exhibet ad judicandi cupidinem pronum, altera potum et omnibus irridentem: imo vero sunt, in quibus, parte priore finita, fabulam videamus absolutam, cum posterior pars, quae hinc bonis bona, malis mala contingant acerba saepe cum cavillatione exponat. Schlegel dramat. Kunst T. I. p. 299. Distinentur vero illae partes loco prae ceteris insigni, parabasim dixere eum veteres, ob eam rem maxime memorabili, quod relicta fabula chorus subito ad spectatores conversus de quibus minime exspectabas verba facit, spectantium animos ab iis, quae in scena erant tractata, sevocatos ad aliena abducit. Temere absque ulla ratione ita institutum nemo sanus sibi persuadebit, nescio tamen, qui sit factum, ut diligentius haec res tractata sit a nemine, sed omnes satis habuerint transeunde eam commemorare. Hermannus in elementis doctr. metr. p. 720 sqq. satis habuit, quae de hac comoediae parte scholiastae et grammatici tradidere, maxima ex parte collegisse, de ipsa re eos videre jussit, qui rem scenicam sibi tractandam sumerent. Kannegiesser (die komische Bühne zu Athen) qui hoc munus in se suscepit, tractavit quidem etiam nostrum locum, sed discidit difficultatem, non solvit. Nihil ille cognationis statuit intercedere inter chorum et personas, casu fieri haec colloquia, cum longe aliam ob causam chorus venerit, ut in deorum honorem caneret. Attigit etiam et quasi summis labiis delibavit nostrum

locum Rötscher (Aristophanes und sein Zeitalter), quem fieri censet, quoniam in comoedia, utpote quae in praesenti tempore versetur tota, locus etiam sit ipsius poetae personae, sed nec necessario hunc ei concedendum, nec tam separatum esse necessario demonstravit. Quare haud perdat operam, qui hanc fabulae partem sibi sumat perscrutandam, ut explicata ejus natura et indole et quomodo cum reliqua fabula cohaereat, possit demonstrare, et unde nata, quaque de causa abjecta sit.

I.

Jam, ut ab ipso nomine initium faciamus, si minus παράβασις, παραβαίνειν tamen dicit Aristophanes et qui illo tempore vixerunt homines ad hanc rem significandam. Cui vocabulo quae sit vis, optime docet schol. ad Aristoph. Pacem, qui cum Platonis attulisset dictum:

εἰ μὲν μή τι λίαν, ὦνδρες, ἠναγκαζόμην
στρέψαι δεῦρ', οὐκ ἂν παρέβην εἰς λέξιν τοιάνδ' ἐπῶν

monet: ἄμφω σημαίνει καὶ τὸ στρέφεσθαι καὶ τὸ παραβαίνειν. Hoc dicit scholiastes interesse inter στρέφεσθαι et παραβαίνειν, illud enim est servato loco in aliam partem se convertere et cum de singulis, tum de agmine ordinibus disposito dicitur: παραβαίνειν quod praeterea vulgo cum accusativo conjungitur (παραβαίνειν νόμον, τόπον) est extra aliquid incedere, egredi aliquid. Hoc nostro sensu autem nunquam conjungitur cum accusativo, sed saepius addit Aristophanes: ἐς τὸ θέατρον, πρὸς τὸ θέατρον; Equit. 508. Pax 735, quod recte praegnanter dictum judicaveris, cum illo scholiasta explicans παραβαίνειν τὸν τόπον ἐς τὸ θέατρον με-

τεωτρίψαντα. Est igitur proprie παράβασις chori motus de statione discedentis, a quo discessu ipsi carmini est nomen inditum. Sed jam anquiramus, quibus ordinibus per parabasim instructus fuerit chorus; quos tum videamus esse conversos, hinc nobis licebit efficere certo et stabili fundamento innixis, quo modo dispositus fuerit, cum aut sermones sereret cum histrionibus, aut melica caneris saltaret. Qua in re pervestiganda spero me veniam impetraturum esse apud viros doctos, si paulo uberius dixero, video enim in hac re duos maxime viros elaborasse (ne Kannegiesserum commemorem, qui hac in re turpissime lapsus est) Genellium et Lindnerum, utrique tamen, opinor, parum successit res, quippe quorum alter ex ingenio magis quam ex veterum auctoritate rem constituerit, suamque, non Graecorum choros ducendi rationem proposuerit, dum alter satis firmo fundamento, cui superstrueret, destitutus laberetur.

Chorum dum intraret orchestram tribus modis esse dispositum docet Pollux IV, 109, nunc κατὰ ζυγά, nunc κατὰ στοίχους,[1]) fuisse etiam in quibus fabulis singuli scenam intrarint, quod factum videtur in Aeschyli Eumenidibus cf. vita Aeschyli. Stabilem autem fuisse istam chori dispositionem, nec subinde mutatos ordines, ut nunc una linea, nunc duabus, nunc tribus esset dispositus, apparet ex Hesychio, qui λαυρο-

---

1) In choro tragico, ex quindecim choreutis composito, ζυγὸν habebat tres, στοῖχος quinque; in choro comico, qui personas habebat viginti quatuor, sex erant ἐν στοίχῳ, quatuor ἐν ζυγῷ. Omnia miscuit Kannegiesser p. 356. 359, quippe qui horum verborum significationem non perspexerit.

στάτης dicit: οἱ ἐν τοῖς μέσοις ζυγοῖς ὄντες ἐν τισὶ σκηνικοῖς μὴ θεωρούμενοι· οἱ δὲ χείρους μέσοι ἵστανται, οἱ δὲ ἐπιτεταγμένοι πρῶτοι καὶ ἔσχατοι. Vulgo quidem est apud Hesychium ζυγοί; sed cum Jungermanno ad Poll. IV, 106. censeo legendum ζυγοῖς, ita enim concinnant cum iis, quae Photius habet s. v. τρίτος ἀριστεροῦ· ἐν τοῖς τραγικοῖς χοροῖς τριῶν ὄντων στοίχων ὁ μὲν ἀριστερὸς στοῖχος ἐστι πρὸς τῷ θεάτρῳ ἦν, ὁ δὲ δεξιὸς ὁ πρὸς τῷ προσκηνίῳ [2]). Eadem ferme habet Photius s. v. λαυροστάτης. Stabiles denique et legibus adstrictos fuisse chori ordines in agenda fabula videmus ex Hesychio, qui s. v. γραμμαί lineas docet in orchestra ductas fuisse, quibus chori versus (στοῖχοι) insisterent. Hinc quam certissime apparet non laevum versum solum ante spectatores esse explicatum, verum converso choro factum esse, ut versus dexter conspiceretur. Quod nisi se ita habuisset, in hunc potius debebant conjici saltatores minus boni, multo minus etiam oculis expositum, cum Hesychius contra inter ἐπιτεταγμένους referat hujus ver-

2) Sinistra scenae pars cum exhiberet τὰ ἐκ πόλεως Poll. IV, 126, hinc si intraret chorus ex civibus compositus, sinistrum spectatoribus objiciebat versum. Fuere tamen tragoediae, ubi peregre adventaret chorus, quales sunt Aeschyli et Euripidis Supplices. Parum tamen est verisimile, tum conversionem chori factam, priusquam stationem caperet, sed dexter tum versus proximus erat spectatoribus. Photius enim, quod saepissime est factum, commemorat, quasi semper sit factum. Parum recte judico fecisse Axtium, qui in libello, quo quindecim in Euripidis Supplicibus fuisse chori personas demonstrare conatus est, medium matribus assignavit versum, cum illae eam potius stationem ceperint, quae maxime erat in honore, quae in hac fabula est versus dexter.

sub choreutas. Concinit cum his chori dispositio in parabasi, cujus ordines quomodo fuerint comparati, certissimis edocemur testimoniis, tum schol. ad Aristoph. Eq. v. 508, tum ad Aristoph. Pacem v. 733. ἐστράφατο ὁ χορὸς καὶ ἐγένοντο στοῖχοι δ΄. Jam quid sit στοῖχος, discimus ex Polluce: versus hominum quorum alter pone alterum stat. Quatuor, id est jugum, in parabasi erant in fronte, cum praeterea chori versus ante spectatores explicati se [illegible], hoc enim dicit schol. ad equites, in extra parabasin κατὰ στοίχους stetisse [illegible]ctor est.

Jam apparebit, opinionem, non ad parodum tantum et exodum solum, quod sibi persuasit Genellius, pertinere juga illa et versus chori, sed quod Hesychius et Photius tradiderunt, minus bonos in media juga esse conjectos, certissimo testimonio in carminibus comicis tam parum neglectam esse illam dispositionem, ut in his omnium maxime vim suam patefecerit. Mirum praeterea Genellius sibi finxit chori saltationem, binis enim versibus instruit chorum, ab utraque thymeles parte unum constituit jubetque gyros devolvere circa eam solis in modum et siderum (das Theater zu Athen p. 138). Locus, ad quem provocat ad probandam hanc suam opinionem, non est in Plutarchi libro de musica. Deinde, quomodo in partes diversas moveri possint hac lege choreutae, non explicavit, ab oriente enim tum sol cum sidera oriuntur et in occidente occidunt. Sed ut haec omittam, multa sunt, quae testimonio esse possint, non ita sese rem habuisse. Ne magnum orchestrae spatium commemorem, ita plane nihil interesset inter stropham et antistropham ab integro choro ductam eaque carmina quae a hemichoriis,

cantantur. Deinde non hoc dicit schol. ad Eurip. Hecub. 647: ἰστέον μὲν ὅτι τὴν μὲν στροφὴν κινούμενοι πρὸς τὰ δεξιὰ οἱ χορευταὶ ᾖδον, τὴν δὲ ἀντίστροφον πρὸς τὰ ἀριστερὰ, τὴν δὲ ἐπῳδὸν ἱστάμενοι ᾖδον, quod certo nobis est testimonio universum chorum compositis ordinibus haec cecinisse et saltasse. Postremo si in parodo solo conspiciebantur juga et versus, qui fieri potuit, ut Pollux diceret κατὰ στοίχους nonnunquam factam esse parodum? dicendum enim erat, fuisse in quibus parodis quinque in jugo fuerint, cum praeterea nulli essent in fabula agenda nec versus chori nec juga.

Sed ut de chori saltatione aliquid tamen in medium proferam, non iis assentior, qui solitos esse interdum chori ordines emhibo negem, arctioribus enim ita saltationem circumscripseris finibus et omne fere pulchre saltandi spatium abstuleris, imo vero in iis permutandis vel maxime posuerim saltandi artem. Sed quemadmodum videmus firmissimis legibus veteres adstrinxisse suos fidibus et tibiis canendi modos, ita etiam saltandi rationem fuisse non minus certis circumscriptam crediderim, in quorum numero maxime pono chori juga. Nunquam separabantur παραστάται illi, aut perraro tamen, (quemadmodum tum factum esse credibile est, cum singuli loquerentur choreutae), sed sive in unum versum coirent, sive pluribus dispositi saltarent, ζυγῖται nunquam alter ab altero discedebant: nam ita demum poterant qui versu dextro aut sinistro erant collocati minus bonos adjuvare atque id efficere, ut qui spectabant in his dexteritatem non ita multum desiderarent. In non minorem itaque is criminationem incurrisset, qui solvere chori juga esset conatus, quam qui non servatis intervallis citharae ad-

jecerunt fides novosque modos effecerunt. Plut. de mus. c. 29 sqq.

Non possum tamen hac re defungi, quin dixerim de eo carminum genere, quod inter omnia carmina tragica quasi principatum quendam videtur obtinere, *στάσιμον* dico, ita enim intelligo Sext. Empir. adv. Mathemat. VI, 17. Sunt, qui sibi persuadeant, hoc carmen stando esse cantatum, e quorum numero est magna scholiastarum pars, e. g. schol. ad Eurip. Hec. 210, ad Aristoph. Vesp. 270. Ran. 180; Favorinus, alii. Sed istud qui poterit probari, qui paullulum de hac re cogitaverit? Aristoteles de arte poet. c. 12. ed. Graef. chorica omnia, quae a toto choro canantur, dividit in parodum et stasimum. Tolle igitur parodum, cui annumeranda est metastasis, cum epiparodo et aphodo, quas commemorat Pollux IV, 108, si quando ejusmodi carmina inveniantur in tragoediis, et, quae reliqua fient, erunt stasima, sed vide ne ita omnem ferme tragoediae saltationem choricam sustuleris. Est autem profecto alicujus momenti Aristotelis sententia, qui istam opinionem ne novit quidem hujusque carminis naturam in ea re ponit, quod trochaeum respuat et anapaestum. Ipsius denique contradicit stasimi naturae, quae strophis et antistrophis continetur, quas inter saltandum cantatas esse omnes consentiunt, habet denique epodum, quem cum teste scholiasta ad Eurip. Hecub. 647. *ἱστάμενοι ᾄδουσι* recte eum dixeris stasimum stasimi, *μέλος στασιμώτατον*. Sensit istam difficultatem magnus nostrae aetatis philologus Hermannus elem. doctr. metr. p. 727. et cum videret in iis carminibus tragoediarum, quae scholiastae esse stasima tradunt, eum esse stropharum ordinem, ut una tantum iis esset

exodus in ipso carminis fine, hac in re sibi visus est stasimi naturam deprehendisse. Sed tam arctis finibus si contineretur stasimum, plane non intelligo, cur his neglectis Aristoteles praeter parodum quodcunque chori carmen praeter trochaica et anapaestica esse stasimum dixerit. A saltatione nomen esse inditum, in eo omnes consentiunt, in ea definienda tamen aperte falluntur multi, nominis specie decepti, cujus si voluissent usum inquirere, facillime poterant significationem deprehendere. Poll. III, 149 dicit καὶ οἱ μὲν δρομεῖς ἐλαφροὶ, κοῦφοι, ποδώκεις· οἱ δὲ παλαισταὶ, βαρεῖς, στάσιμοι, μόνιμοι. Nam non moventur qui luctam exercent? Idem IV, 156 ἄστρα, dicit, ἀπλανῆ, στάσιμα, ἀμετάθετα; moventur tamen ex veterum opinione stellae, quas fixas vocare solemus. Imo vero στάσιμος non est, qui non movetur, sed qui statione non discedit. Jam vero videmus parodo semper fere opponi στάσιμον. Parodus vero chori est carmen stationem suam occupantis; quod cum videamus in strophas et antistrophas esse descriptum, alia necessario has ducendi esse ratio, quam qua stasimi strophae ducebantur teste schol. ad Eurip. Hecubam; sexcentas enim ita strophas et antistrophas licet chorus cecinerit, in eandem stationem, quam ante stropham tenuerat, redibit in antistropha. Alia igitur necessario est ratio has strophas ducendi, et cum in stasimo id maxime intersit chori, ut quam in stropha deseruerat stationem eandem in antistropha recipiat, in parodo contra evenit. Atque hoc profecto magna dicit scholiastarum pars, qui στάσιμον id dicunt μέλος, quod ἱστάμενοι οἱ χορευταὶ ᾄδουσιν, nam ἱστάμενος non est ἀκίνητος μένων, sed qui stationem cepit. — Sed jam satis dictum de tragoediae saltationibus; de comoe-

dia eadem ferme valent. Simili modo parodum esse factam dicit Poll. IV, 109: non magis in comoedia, quam in tragoedia fieri potuisse, ut solverentur chori juga, verisimile est, in parabasi quae ex omnibus carminibus comicis est longissimum non esse soluta vidimus; stasimon utrum etiam comoediae sit tribuendum nescio, praeter scholiastam ad Vesp. 270. nemo stasimi in comoedia fecit mentionem, illum vero quod ibi chorus dicit *στάντα* se velle canere facillime potuit adducere, ut illum locum pro stasimo haberet.

His constitutis minoris erit negotii exponere, quibus ordinibus instructus fuerit chorus, cum ad thymelem stans per choragum cum histrionibus sermones sereret. Nihil est, cur cum Genellio ibi solvamus chori ordines, in thymele constituamus choragum tragoediae, una serie hinc illinc reliquos, non aliam magis ob causam, quam ut in tragoedia par utrinque numerus staret. Ex Photio s. v. *τρίτος ἀριστεροῦ* discimus, tertium sinistri versus fuisse choragum, de totius autem chori dispositione, cum ad thymelem staret, certiores nos facit Hephaestio p. 71: *ἔστι δέ τις ἐν ταῖς κωμῳδίαις καὶ ἡ καλουμένη παράβασις, ἐπειδὰν εἰσελθόντες εἰς τὸ θέατρον καὶ ἀντιπρόσωπον ἀλλήλοις στάντες οἱ χορευταὶ παρέβαινον καὶ εἰς τὸ θέατρον βλέποντες ἔλεγόν τινα.* Hephaestioni assentitur schol. ad Aristoph. Equit. v. 512: *ἐστᾶσι μὲν γὰρ κατὰ στοῖχον οἱ χορευταὶ πρὸς τὴν ὀρχήστραν ἀποβλέποντες· ὅταν δὲ παραβῶσιν ἐφεξῆς ἐστῶτες καὶ πρὸς τοὺς θεατὰς βλέποντες τὸν λόγον ποιοῦνται.* Videmus igitur ita instructos fuisse chori ordines, ut versus esset ante spectatores explicatus, os vero choreutae nec in scenam nec in spectantes converterent, sed dipartiti se invicem intuerentur. Ita

referebant speciem coronae, ad quam histriones verba facerent, aut cum quasi sermonem conferrent. Confirmatur haec nostra sententia loco quodam in Xenophontis Anabasi V, 4, 12: ἔστησαν ἀνὰ ἑκατὸν μάλιστα ὥσπερ οἱ χοροὶ ἀντιστοιχοῦντες ἀλλήλοις. Quam Genelli facit chori dispositionem rectius ἀντιζυγοῦν quam ἀντιστοιχεῖν dixeris, στοιχεῖν enim Polluce auctore I, 127. est idem quod ἐφεξῆς εἶναι κατὰ βάθος; [3]) ἀντιστοιχεῖν erit hinc illinc versibus dispositum esse atque id ipsum significat Xenoph. Sympos. II, 20: „Jam tu, o Socrates, si es saltando operam daturus, ego tecum discam et e parte opposita saltabo." Sed haud parva hoc loco nobis oritur difficultas; chorus enim comoediae cum viginti quatuor personas complecteretur in sex juga dispositas, facillime in parem utrinque numerum dividebatur, chorus autem tragicus nullo plane modo poterat ita dividi, sed necessario ab altera parte sex personae, novem ab altera erant positae: sed quamvis primo aspicienti possit valde dubium videri, non dubitaverim tamen, ita sese rem habuisse. Atque huic rei testimonio est locus ille Photii qui s. v. τρίτος ἀριστεροῦ iis quae supra attulimus addit. Συνέβαινεν μὲν οὖν τὸν μέσον τοῦ ἀριστεροῦ στοίχου τὴν ἐντιμοτάτην καὶ τὴν οἷον τοῦ πρωτοστάτου χώραν ἀπέχειν, quam enim ob causam hoc ipso loco stabat nisi ibi partitus fuisset chorus? Potest praeterea aliquid tribuere Soph. Oedipo Coloneo, ubi a. v. 1662 — 1738 singulis personis chori

3) Prava necessario est lectio Poll. VIII, 105. οὐ καταλείψω τὸν παραστάτην ᾧ ἂν στοιχῶ, est enim παραστάτης ὁ παρ' ἕκαστον ταττόμενος; legendum est προστάτην, cui rei assentitur Sigonius de re publ. Athen. IV, 5, qui istud verbum vertit patronus.

partes distribuit Reisig comment. crit. p. 407, qui tamen vereor ne parum recte ultimos fabulae versiculos quintae decimae personae dederit, quod eam, quae in fine maxime conspicitur, tragoediae gravitatem nimis extenuaret, praesertim cum remotiores sint versiculi isti. Ego vero chorago potius tribuendos censeo atque quam Reisigius sustulit vers. 1738 divisionem restituendam censeo, ita tamen, ut non Antigonae sit, sed inter personam chori tertiam et quartam decimam distribuatur. Quo facto in stropham et antistropham priorem sex personae cadunt, in secundam vero novem, unde jam Reisigius collegit, κατὰ ζυγὰ haec esse dicta. Sed vereor, ne hoc in meam convertens sententiamper parum quibusdam videar dicere; exstitit enim nuper, qui negaret singulas chori personas esse locutas, nimis turbidum istud dicendi genus judicans et Agamemnonis Aeschylei locum cui egregie id vindicavit Hermann. de choro Eumenidum Opusc. II. p. 131, inter tres chori ductores distribueret. Lindner über den Chor des Aeschylus in Jahn's Jahrbüchern für Philologie und Pädagogik Jahrg. 2. Bd. 1. Hft. 3. 1827. cum quo consentit Genelli p. 182. Doleo quod minoris fecerit rationem, qua Vir ille clarissimus suam firmaverat sententiam. „Si istud colloquium," ait Hermann., „inter duo semichoria distribuitur, adeo istae personae „inconstantes et inopes consilii sunt, ut non modo, „quid agant nesciant, sed semper a contrariis ad con„traria transvolent, morum certique ingenii plane ex„pertes." Tantum vero abest, ut aliquo modo haec tertio interlocutore adhibito concinaverit Lindner, certosque mores singulis personis descripserit, ut maxime repugnantia uni personae dederit v. 1352. 1358. 1364;

quis est, qui cum eo versum 1360 dicat esse hominis populi amantissimi? quis ejusdem qui versu 1368 locutus sit? quis v. 1358 dicat esse viri prudenter cunctantis? imo vero est hominis plane dubii et ignavi. Sed reliqua videamus, quae de rebus scenicis ille constituit. Non solvenda esse juga ille quidem recte vidit, sed quam sibi probandam sumsit chori discessionem in partes tres, vereor ut cuiquam probaverit, imo vero ut ipse sibi satis constet. Postquam dixerat, chori versum ante spectatores fuisse explicatum, coryphaeis tribus, i. e. primo jugo primas dedit partes, auctoritatem tamen huic rei invenit nullam. Sed cum ex nostra sententia secundus et tertius coryphaeus tecto loco staret, quae statio primis partibus parum convenit, spreta quam ipse attulerat auctoritate, aliam necessario faciet chori dispositionem, ut jugum sit in fronte, quam ille rem non magis auctoritate firmavit. Ipsum vero illud discedendi genus veterum scriptorum nemo commemoravit, nam quod Pollux IV, 107. dicit τριχορίαν δὲ Τυρταῖος ἔστησε nec ad tragoediam pertinet, nec significat, discessisse in tres partes chorum, sed tres esse choros constitutos, qui canendo et saltando se exciperent et sibi responderent. Ita ipse Pollux suam explicat sententiam istis verbis addens τρεῖς Λακώνων χοροὺς καθ' ἡλικίαν ἑκάστην, παῖδας, ἄνδρας, γέροντας. Deinde χοροὺς ἱστάναι dicuntur, qui docent chorum Paus. Lacon. p. 178, 40. Plut. de mus. 4. atque τριχορίαν ἔστησε longe erit aliud atque inter cantum jubere chorum in tres partes discedere. Sed ne quid hac in re praetermittamus, qua ex re Lindnerus opinioni suae rationem petiit, coryphaeos dico, eam paulo diligentius perscrutemur. Pollux IV, 106. dicit

Τούτοις δ' ἂν προςήκοι.... χορηγός... ἡγέμων χοροῦ, κορυφαῖος χοροῦ, χορολέκτης, χοροποιός, διδάσκαλος, ὑποδιδάσκαλος, χοροδιδάσκαλος, δεξιοστάτης, ἀριστεροστάτης, λαυροστάτης, τριτοστάτης. Choragus Demosthenis temporibus semper fere est, qui alit chorum, sed non potest esse dubium, prius hunc ipsum fuisse chori ducem, quod tum ex ipso verbo χοραγός apparet, tum ex Platon. Theaet. 20. et de Legg. II. p. 60, qui verbo χορηγεῖν manu ducendi sensu utitur. Quod si recte judicaverimus, priscis illis temporibus idem fuit choragus et ἡγέμων χοροῦ, ita enim, opinor, recte eum dixeris, qui chori quasi princeps pro eo verba faciat, atque consentio cum Lindnero, huic fuisse stationem in medio versu sinistro. Phot. s. v. τρίτος ἀριστεροῦ: Συνέβαινεν οὖν τὸν μέσον τοῦ ἀριστεροῦ στοίχου τὴν ἐντιμοτάτην καὶ τὴν οἷον τοῦ πρωτοστάτου χώραν ἀπέχειν καὶ στάσιν, quo loco Lindnerum fefellit illud συνέβαινεν, qui sibi persuasit, verbum istud significare fuisse, in quibus fabulis haec statio esset insignis, fuisse, in quibus non esset. Quod si scholiastes erat dicturus, profecto non dixisset συνέβαινεν, sed ἔσθ' ὅτε συνέβη. Dicitur enim συμβαίνειν de rebus omnibus, quarum non intelligimus causam, quippe quae nobis casu videantur fieri, quod deinde inservit verbo circumscribendo atque urgendo, cf. Plut. de mus. c. 12. fin. c. 30. c. 43. Apparebit tamen causa si tecum perpendis quae de chori ad thymelem stantis dispositione supra diximus, ἀντιπρόςωπον ἀλλήλοις stetisse.

Κορυφαῖος vero quo fuerit loco positus dubium esse vix potest; primus erat versus sinistri. Lindnerus sibi persuasit, hunc esse eundem, qui aliis locis hegemon vocatur, nostro, opinor, loquendi usu deceptus, qui

coryphaeum solemus dicere chori ducem, sed repugnat utriusque statio. Est tamen etiam coryphaeo statio insignis, nec sine magno momento; hunc enim esse chori praesultorem ipsa res declarat. Quare non est absonum, si quando personae chori diverso essent habitu, hunc insigniori cultu esse usum atque in Eumenidibus, ubi tres prodeunt Furiae, choreutae quindecim, Herm. de choro Eumenid.; quam istis potius dabis stationem quam ducis, coryphaei ultimumque versus sinistri, quae persona quasi *οὐραγοῦ* loco erat. Sin vero sex personis assignanda esset statio insignis, primo, tertio et quinto loco versus dextri reliquas tres fuisse positas non dubitaverim.

Alia jam sequitur persona *χορολέκτης*, quem Suidas *χοροδέκτην* vocat; utra sit forma praeferenda dubium, significari eundem extra omnem dubitationem positum est. Suid. *χοροδέκτης ὁ τοῦ χοροῦ προεξάρχων* Aelian. Hist. Anim. p. 230. *ὥσπερ ἀπὸ χορολέκτου τινὸς τὸ ἐνδόσιμον λαβών*: est autem *ἐνδόσιμον τὸ πρὸ τῆς ᾠδῆς κιθάρισμα* Hesych. Non est igitur *χορολέκτης* ex choreutarum numero, sed ex tibicinum potius, qui adsunt choro ejusque cantum moderantur. In orchestra eum fuisse, apparet ex iis, quae Suidas istis verbis subjicit *ὥσπερ παρά τινος χοροδέκτου λαβεῖν τὴν στάσιν*. De iis, quae sequuntur nominibus dubium esse non potest, quinam sint illi homines, sed priusquam haec missa faciamus, dicenda sunt pauca de chori tragici numero; video enim esse, qui sibi persuadeant, nunc e tribus, nunc e septem, nunc ex alio quocunque numero potuisse choros duci: Blomfieldium et Bachium in Jahnii annalibus philol. II, 2, 4. p. 434. Axtii libellum de choro Supplicum notantem. Quod eo magis

debemus mirari, cum ad unum omnes dicant, ex quindecim choreutis choros tragicos esse constitutos; nam qui ex quatuordecim compositos tradidit biographus Aeschyli ed. Robort. ducem procul dubio non in choreutarum numero posuit. Neque hoc probant tres illi loci ex Euripidis Supplicibus, ad quos provocat Bachius, neque scholiastes cum narrat e matribus heroum, qui ad Thebas ceciderant, constitutum esse chorum. Idonea autem est causa, cur stabilem quendam ei fuisse numerum contendamus, publice enim dabatur chorus, nec ex lubitu procul dubio sibi sumere choreutas poeta, sed qui lege dabantur, eos debebat in rem suam convertere atque fabulae adaptare. Mulcta dicta saepe (Boeckh. Staatshaushaltung I. p. 489.) adigendi erant parentes, ut filios darent choragis ad choros, quod qui potuit fieri, nisi lege chorago fuisset data potestas choreutas exigendi? Si vero lege de hac re erat cautum, de quanam re prius constitutum fuerit, quam de ipso numero? Sin vero mihi quis respondeat: damus, lege fuisse concessum, ut certum numerum choreutarum posset exigere choragus, sed unde demonstrabis cautum fuisse, ne quando minorem? Ex ipsa re, inquam; qui enim choragus passus esset detrahi chori sui magnificentiae, quantam apud plebem subisset invidiam, si poetae flagitanti hoc dedisset? — Quod si a quinquaginta choreutis ad duodecim imminutus esset chori numerus, lege hoc factum est; si deinde ad quindecim personas est auctus, alia lege opus erat. Quare cum Hermanno de choro Eumenidum consentio, ineptam esse, quam Pollux narrat, fabulam de metu, quem Eumenidum chorus mulierculis injecerit, sed Aeschyli temporibus lege cau-

tum esse, ne chorus tragicus ex quinquaginta personis constitueretur, verissimum judico. Auctor mihi est Aristoteles, qui a dithyrambicis choris tragoediae initia repetit, in quibus si fuit chorus choreutarum quinquaginta, fuit necessario tragoedia, quae chorum haberet personarum quinquaginta. Ut autem censeam, ab Aeschylo hac in re mutationem esse factam, (liceat mihi conjecturam proferre in medium) facit Athenaeus I. p. 21. E., qui ab Aeschylo magnam in hisce rebus mutationem factam narrat: *Χαμαιλέων γοῦν πρῶτον αὐτόν φησι σχηματίσαι τοὺς χοροὺς ὀρχηστοδιδασκάλοις οὐ χρησάμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τοῖς χοροῖς τὰ σχήματα ποιοῦντα τῶν ὀρχεσηῶν.* Novi igitur saltandi generis ejusque arte magis exculti auctor exstitit Aeschylus; tantus autem saltatorum numerus et difficilius movebatur et valde simplex sibi postulabat saltandi genus. Hanc ob causam numerum imminutum putaverim, ut non bacchico magis furore et insania ferretur, quam arte et ratione temperaret saltationem. Qua in re quanti momenti fuerit, majorem imminuere chori numerum, non est, quod dicam. Hic vero chorus personarum duodecim quomodo fuerit dispositus, si quis quaerat, non est hac de re nobis traditum, analogia tamen licebit efficere aliquid de hac re, quod possit probari. Atque primo hoc animadvertas velim, chorum cyclicum, comici habere numerum duplicem, tragicum vero dimidium atque respondere quemvis imperio militari, cyclicum *πεντηκοστύϊ*, comicum enomotarchiae, tragicum decadarchiae, a re militari deinde petita esse vocabula *ζυγόν* et *στοῖχος*, esse praeterea satis probabile *στοῖχον* militarem pristinis temporibus fuisse hominum quinque cum pempadarcho, qui numerus sex persona-

rum mansit in choro comico, utpote qui, quantum scimus, nunquam sit mutatus, habebimus idoneam rationem, cur credamus, chorum istum tragicum fuisse duobus versibus, jugis sex dispositum, cyclicum vero versibus octo jugis sex hinc illinc addito duce, qui pempadarcho et enomotarcho responderet et in tanto numero omnino esset necessarius: a gyris enim magis quos revolvebat, quam a dispositione nomen putaverim ei inditum. Callim. Hymn. in Delum 310. Pollux IV, 101. Dithyrambici chori morem hinc illinc ponendi ducem in diverbiis servavit fortasse tragoedia atque ita versus ille quinque personarum exstitit. Sophoclem vero non poterat fugere, in tam exiguo choreutarum numero duces alienos esse a chori tragici gravitate, quare quos major ille numerus atque majores in fabulis chori partes tulerant duces abjecit, versum integrum addidit, ne chorus justo tenuior esset.

Jam possem hac disputatione defungi, nisi me admoneret locus unus, qui tamen ita est singularis, ut omnem hanc nostram disputationem videri possit evertere. Est ille quidem apud schol. ad Aristoph. Eq. 586. ἔστι δὲ καὶ ὅτε ἡμιχόρια ἵσταντο ἤτοι ἐξ ἀνδρῶν εἴη καὶ γυναικῶν, ἐν δὲ τοιούτοις χοροῖς εἰ μὲν ἐξ ἀνδρῶν εἴη καὶ γυναικῶν ὁ χορός, ἐπλεονέκτει τὸ τῶν ἀνδρῶν καὶ ἦσαν ιγ΄, αἱ δὲ γυναῖκες ιά. εἰ δὲ παίδων εἴη καὶ γυναικῶν αἱ μὲν γυναῖκες ἦσαν ιγ΄· εἰ δὲ πρεσβυτῶν καὶ νέων τοὺς πρεσβύτας πλεονεκτεῖν φασί. Quod si in universum valeret, omnis tolleretur chori ordo, sine quo tamen ne cogitari quidem saltatio potest. Sed ad eas fabulas, de quibus locuti sumus, non pertinent quae dicit scholiastes, ipse in Avibus agnoscens mares duodecim totidemque feminas, sed novum commemorat fabularum ge-

nus, cui duo erant chori qui sibi responderent, hoc enim est ἡμιχόρια ἱστάναι, de qua se supra diximus. Apparet igitur etiam in his fabulis numeri tenaces fuisse comoedos, quod novo est testimonio, certis legibus chori numerum fuisse constitutum. Alterum habemus itaque comoediarum genus, ubi chorus erat dipartitus, tum pars altera tredecim, altera undecim choreutas habebat. Ad tragoediam autem istud non pertinet; diversas illa quidem recipit personas, sed choro per totam fabulam bipartito tragoediae gravitas non relinquit locum. Nanciscitur autem haec nostra disputatio aliquid momenti, quod servata est nobis hujus generis fabula Lysistrata, ubi sub ipsum finem tandem in gratiam coeunt chori. Atque haec ipsa fabula demonstrat, nullo modo potuisse fieri, quod sibi persuasit Genellius, virum tum duxisse mulieres. Uberius de hisce comoediis disserere alienum est a proposito nostro; parabasi enim carere hoc genus mox videbimus, tamen, quoniam id in nos suscepimus, ut, quam optime fieri posset, constitueremus, quis fuerit chori ordo, etiam hoc genus paucis nobis est illustrandum.

Non sine causa idonea factam esse istam divisionem quisque intelligit, sed in iis tantum fabulis ei locum fuisse, ubi ipse chorus plane diversa appeteret atque duo ista hemicheria sibi infensa essent. Sed longe aliud in hisce fabulis quam in reliquis postulabat rei natura: si alioquin censebant duce chorum facile carere, qui auctoritate sua singulos non poterat non impedire, quo minus liberius dicerent; tum maxime intererat esse ducem, qui non minus auctoritate, quam imperio rei strenue gerendae esset par et ipsa statione insignis; haec fuit causa cur in partes chorum divi-

derent inaequales. His ducibus demtis hinc decem, illinc duodecim supersunt personae, quas duobus utrinque versibus stetisse putaverim, hinc jugis quinque, illinc sex, cum numerus viginti quatuor choreutarum esset tenendus. Ita omnes fere chori partes ad illos duces redeunt, qui histrionum sic fiunt simillimi, ita ut in Lysistrata alterum ex iis videamus pro histrione habitum. Apparet enim inter hujus fabulae personas Stratyllis quaedam mirifice comparata; pauca enim admodum verba profert v. 350. 439. 447, adest deinde tacens longae chori altercationi, postremo cum virorum dux colaphis repellendas mulieres censeret, mulierum chorus respondet: ἅψαι μόνον Στρατυλλίδος, ipsa vero Stratyllis silet. Imo vero Stratyllis nomen est mulieri, quae chorum ducit muliebrem et cui, ut ipsa ferebat res, maxime irascebatur chorus senilis et quae v. 365. pro Stratyllide verba facit, alia est mulier ejusdem chori, Rhodippe fortasse quae nominatur v. 369. Sed de hoc fabularum genere satis opinor est dictum; jam redeamus ad parabasim nostram.

Jugum in parabasi fuisse ad spectatores conversum, in ipso disputationis initio demonstravimus. Superest, ut videamus, utrum per omnes parabaseos partes idem fuerit ordo, sunt enim complures, an subinde mutatus et inversus sit. Qua in re, cum simus veterum testimoniis destituti, quis pro certo aliquid affirmare audeat? Non eadem tamen ratione singulas saltatas esse, certissimum est atque ipsa nomina στροφή et ἀντίστροφος arguunt, quae sunt in ejus partibus firmatque schol. ad Nub. 563. hanc sententiam, dicens: τοῦτο ᾠδὴ καὶ στροφὴ ὀνομάζεται διὰ τὸ στροφήν τινα ποιεῖσθαι τὸν χορὸν ἀπὸ τοῦ πρὸς τοὺς θεατὰς

ὀρχεῖν καὶ ᾄδειν εἰς ἕτερον ἀφορῶντι μέρος. Quae chori conversiones quales fuerint nos latet, quantum tamen de his liceat assequi conjectura, post videbimus, ubi dixerimus de singulis parabaseos partibus: nunc satis sit monuisse, non minus videri interfuisse inter rationem haec carmina ducendi et alia; singulas enim partes fere omnes posse totius parabaseos loco esse mox videbimus.

Parabasis, ut paucis rem complectar, vocatur ex veteris comoediae pars, quam inversis ordinibus, ita ut jugum esset in fronte agminis, ad spectatores dicebat chorus. Choragus in parabasi procul dubio in primo erat jugo, qui si, quemadmodum in tragoedia, in tertio per sermones cum histrionibus stabat jugo, ubi ad parabasim dicendam se accingeret chorus, ordinum conversio necessario facta est, ita ut tertium jugum fieret primum.

II.

Absolutis iis, quae de nomine erant dicenda, quaeque de rebus scenicis monenda, jam ad ipsam poesim accedamus, quem locum ita tractabimus, ut primo videamus de forma, quam vocant, deinde quo parabasis sit loco ponenda, quid denique tractare soleat et quid inter ipsam reliquamque comoediam necessitatis intercedat. Sed jam patefiet, parabasim, ut partibus composita est forma diversissimis, ita etiam res tractare diversissimas.

Septem fuere parabaseos partes ipsa forma diversae, qua de re cum multi alii tum schol. ad Nub. 518. dixit: εἴδη δὲ παραβάσεως ἑπτά, ἁπλᾶ μὲν τρία, καὶ

δὲ σχέσει τέσσαρα· τὰ μὲν οὖν ἁπλᾶ ἐστι ταῦτα· κομμάτιον, παράβασις ὁμωνύμως, ἣ καὶ ἀνάπαιστος καλεῖται, ἐπεὶ πολλάκις ἐν ταύτῃ τῷ ἀναπαίστῳ χρῆται· πνῖγος ὁ καὶ μακρόν· τὰ δὲ κατὰ σχέσιν· στροφή, ἀντίστροφος, ἐπίῤῥημα, ἀντεπίῤῥημα· συμπίπτουσι γὰρ ἀλλήλοις κατὰ τὸ μέτρον καὶ τὰ κῶλα, ἡ γὰρ στροφὴ ἔχει ὁμοίαν ἑαυτῇ τὴν ἀντίστροφον καὶ τὸ ἐπίῤῥημα ὡσαύτως τὸ ἀντεπίῤῥημα. τινὲς δὲ προστιθέασι καὶ ᾠδὴν καὶ ἀντῳδήν· ἔχουσι γὰρ καὶ ταῦτα σχέσιν πρὸς ἄλληλα. ἡ μὲν οὖν παράβασις ἡ ἐκ τούτων συγκειμένη τελεία ἐστίν· εἰσὶ δὲ καὶ ἀτελεῖς παραβάσεις. Quae noster hoc loco dicit εἴδη, vocant μέρη Pollux IV, 111, schol. ad Ran. 686, ad Nubes 1113, εἴδη igitur hoc loco et apud Hephaest. p. 71. significant partes ipsa forma diversas, ἁπλᾶ quid sit, facile intelliges ex iis, quae opponuntur κατὰ σχέσιν, quae partes non habent, quae ipsis respondeant. Una superest difficultas in fine, secundum quem videntur fuisse, qui novem parabasi darent partes; sed vix videas, quid intersit inter στροφή et ᾠδή, arctissime enim conjunctam fuisse saltationem cum cantu tum multa arguunt, tum dicit Plato de Legg. VII. p. 816. Sed vide, ne hoc dicat scholiastes, plerumque hanc parabaseos partem vocari στροφή καὶ ᾠδή et ἀντίστροφος καὶ ἀντῳδή, ita enim factum videmus semper; nec sine idonea ratione est factum, strophica enim non minus sunt ἐπίῤῥημα et ἀντεπίῤῥημα, nullo vero modo sunt odae. A quo stropharum genere, quod cantui non dabat locum, ut nostram partem discernerent eamque cantui vindicarent, additum videtur a grammaticis ᾠδή. Sed jam videamus de singulis.

Κομμάτιον, ait Pollux, ἐστὶ καταβολή τις βραχέος μέλους. Melicis itaque videtur conscriptum esse nu-

meris, quale videmus in Nubibus 518, Avibus 676, Equitibus 498, et Vespis 1009, ad quem locum scholiastes dicit κομμάτιον esse προκήρυγμα τῆς παραβάσεως. Hoc videtur induxisse schol. ad Acharn. 626, Pacem 730, Thesm. 785, ut versiculos illos, quibus chorus parabasim sibi faciendam profitetur, κομμάτιον vocarent. Cantabatur autem κομμάτιον inter ordinum conversionem et molle aliquid ei conciliabat, quam ad rem poetam usum esse anapaesticis tetrametris valde est absonum, nec facile mihi persuaserim. Quare in Acharn. Pace, Thesmophoriazusis deesse commatium censeo.

Sequitur altera pars, a qua totum hoc genus nomen traxit. Haec pars vocatur etiam ἀνάπαιστοι, hoc enim metro, quas habemus parabases, excepta una, omnes sunt conscriptae, quo versuum genere quantopere delectatus sit Aristophanes, inde apparet, quod versus anapaesticus tetrameter catalecticus ab eo nomen tulerit. Tamen neutiquam licet opinari, semper ita principatum quendam tenuisse anapaestum; multas enim parabases videmus alio metro esse conscriptas. Nubium primo, cujus metrum est Eupolideum, deinde quod in ipso dissertationis initio commemoravimus Platonis fragmentum ex Paedario procul dubio e parabasi sumtum:

εἰ μὲν μή τι λίαν ὦνδρες ἠναγκαζόμην
στρέψαι δεῦρ' οὐκ ἂν παρέβην εἰς λέξιν τοιάνδ' ἐπῶν.

et fragmentum ex Eupolidis Βάπταις, quod ita restituit Erfurdtius:

τοὺς Ἱππέας
συνεποίησα τῷ Φαλάκρῳ τούτῳ κἀδωρησάμην.

Eupolideo utrumque metro conscriptum, parabasim denique in Eupolidis Ἀστρατεύτοις, quam Hephaestio

p. 56. tradit Cratineo metro fuisse conscriptam. „Tri-metris unquam fuisse conscriptam negavit Bentlej. dissert. Phalarid. p. 262. non tamen alia ratione ductus, quam quod nullae hujusmodi inveniantur in iis, quas tenemus, comoediis; quod argumentum quamvis aliquid valeat, est tamen melius: et argumento enim et forma parabasis differt ab omnibus reliquis comoediae partibus, id quod diversis a vulgari metris magnopere adjuvatur. Sed quocunque fuerit conscripta metro, uno tamen et continuo scripta est semper, quod demonstrant, quae nobis supersunt exempla. Bonam certe partem eorum versuum, quos metro Eupolideo, Cratineo, choriambico polyschematisto et epionico polyschematisto habemus conscriptos, ex parabasibus esse petitos crediderim. De chori dispositione in his dicendis maxime valebunt, quae scholiastae de hac re tradidere, jugum fuisse ad spectantes conversum; stando deinde hanc partem dictam censeo, tum ob metrum stabile, tum ob dictionem compositam vulgo et seriam.

Parabasim, quae arctiore sensu vocatur, excipit μακρόν sive πνῖγος, ultima partium simplicium. De quo Hephaestio p. 71. καὶ τρίτον τὸ μακρὸν προςαγορευόμενον, ὃ ἂν φαῖμεν 4) εἶναι ἐπιμηκέστερον· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ ἀπνευστὶ λέγεσθαι ἐδόκει εἶναι μακρότερον „possis „quidem opinari, ita dictum, quod sit longius, sed „parum recte judicabis, cum longius sit visum, quod „in eo recitando non daretur voci, ubi spiritum re„ciperet.“ Quam primam commemorat sententiam, tuetur schol. ad Pac. v. 730, qui ipsos anapaestos vo-

4) Ita legendum; vulgo ὃ καὶ φαμέν.

cat μακρόν, atque jure quidem suo, haec enim ex omnibus partibus est longissima. Cum Hephaestione consentit Pollux IV, 112. Videtur igitur μακρόν ad id versuum genus pertinere, quod nexum vocat Hermannus, uno plerumque versu complexus est Boeckhius. Magno istud cum impetu dictum ex omnibus, ubi istud reperimus, locis apparet: Avib. 723, Equit. 547, Pac. 765, Acharn. 659, Vesp. 1051, Thesm. 814. Monendum est, in fine macri catalecticum plerumque addi versum, et cum impetu quodam ita finiri periodum illam. Neque est hoc nobis negligendum, eodem semper metro, quo parabasim, quae arctiore dicitur sensu, conscriptum esse macron, brevioribus tamen versibus. Neque est hic mos, periodum aliquam brevioribus finiendi versibus, parabasi proprius, sed reperitur etiam praeterea et vocatur haec pars διπλῆ, quale est in Avibus 523, saepissime autem reperitur in Pluto, ad quam schol. ad v. 252. uberius de hoc more disseruit. Recitatam crediderim macrum stando, quemadmodum parabasim, at vehementissima cum agitatione singulorum.

Jam disputationem perduximus ad eas partes, quae habent, quae ipsis respondeant, in quibus quae de altera dicentur, valent etiam de altera. Ex quibus stropha et antistropha melicos habent numeros et iisdem legibus sunt adstrictae, quibus vulgo solent strophica chori. Sed antistropha non excipit stropham, sed interjecto demum epirrhemate ducitur, si parabasis habet epirrhema. Chori conversionem factam esse in stropha cantanda, ipsum jam nomen arguit, quae qualis fuisse videatur, paulo post videbimus.

Superest, ut de epirrhemate dicamus, quae pars interjicitur inter stropham et antistropham et de an-

tepirrhemate, quod parabasim claudit. Conscriptum est utrumque versu trochaico tetrametro catalectico (τὰ ἰαμβεῖα τετράμετρα habet argumentum primum Nubium, sed de his verbis post videbimus, ubi de rebus, quas in epirrhemate tractaverint poetae, sumus locuturi) plerumque sedecim complectens versus Argum. I. Nub. Parum recte, opinor, Hermannus Elem. doctr. metr. p. 583, 2. huc retulit versum Eupolidis

καὶ ξυνεγιγνόμην ἀεὶ τοῖς ἀγαθοῖς φάγροισιν,

qui potius ad macrum est referendus; epirrhema enim tetrametris esse conscriptum, in eo omnes fere consentiunt. Poll. IV, 112. Hephaest. p. 71. atque confirmari hoc videtur scholio ad Nub. v. 1109; cui praeter versum nulla est causa, cur epirrhema istud potius, quam parabasim dicat, quemadmodum Hermannus judicat Elem. doctr. metr. p. 723. Eandem ob causam assentiri non possumus schol. ad Aristoph. Ranas v. 356; si versus istos vult esse ἐπιῤῥηματικὴν συζυγίαν, tum enim non possent anapaestis esse conscripti. Sed ne parabasis quidem est illa; palam enim faciunt vv. 369. et 370, haec non dicta esse ad plebem, sed esse initium mysteriorum, quae mystae celebraturi sunt, quamvis iidem jubeantur abesse, contra quos dicta est ipsa fabulae parabasis. Jam de saltatione si est mihi aliquid dicendum, nescio an nimis temerarius quibusdam sim visurus, si in epirrhemate aeque atque in anapaestis fuisse jugum in fronte censeam; est enim pari ratione hic locus stabili metro conscriptus et procul dubio a choro, aut chorago potius stando dictus; nisi quod non primum, sed ultimum jugum videatur fuisse in fronte et primum per epirrhema ultimo loco stetisse. A diversis hominibus epir-

thema et parabasim esse dictam, mecum statuit Genellius. Quod si recte vidimus, per stropham fiet chori conversio, ita ut ducente jugo ultimo circulum dimidium percurrat chorus; finita enim stropha in statione debebat esse, cum in Pace v. 1171. ne interpunctione quidem antepirrhema ab antistropha disjunctum sit. Per antistropham deinde chorus in eandem redibat stationem, qua in anapaestis steterat, dictoque antepirrhemate ad thymelem revertebatur, ut cum histrionibus redeuntibus rursus sereret sermones.

Sed priusquam hanc partem relinquamus, dicendum est de iis parabasibus, quae sunt mutilae (οὐ τέλειαι), i. e. quae non omnes partes habent. Horum saepissime occurrit ἐπιῤῥηματικὴ συζυγία, stropham, epirrhema, antistropham et antepirrhema complectens, qua in secunda maxime fabulae parabasi videmus Aristophanem esse usum, e. g. in Avibus 1058, Equit. 1263, Pace 1127. Sed etiam in Ranis ubi una tantum est parabasis, deest quae arctiore sensu dicitur parabasis cum commatio et macro, quorum utrumque saepius desideratur. Epirrhemate et antepirrhemate caret parabasis Pacis prior. Thesmophoriazusarum parabasis nihil nisi anapaestos, macrum et epirrhema habet; solum epirrhema invenitur in Nub. 1115. Vesparum parabasis secunda v. 1305. solis melicis est partibus constituta atque haud scio, an non in Acharnensibus 1143—1175 parabasis sit agnoscenda. Apparet denique, quamvis ferme partem posse abesse, et anapaestos, et melica, et epirrhema sola sufficere ad constituendam parabasim.

III.

Jam absolutis, quae de forma erant monenda, parabasis quomodo ad reliquam comoediam se habeat videamus. Qua in re plane singularis est Kannegiesseri sententia: nihil plane necessitatis intercedere inter chori carmina et histrionum sermones. Chorum intrare scenam, ut sacra faciat diis, piasque preces fundat, longe aliam ob rem adesse histriones, quorum altercatione chorus impediatur, quo minus statim canat in honorem deorum, sed quasi consistens intereundum spectet, quae fiant in scena, dum aliquo negotio sevocati histriones discedant et choro spatium dent proposito satisfaciendi. Sed cum longiores sint chori preces, in magnam chori utilitatem redire histriones et choro, qui precibus non amplius possit supersedere, linguis enim non favent histriones, dari tempus recipiendi spiritum. Atque ita per vices chorum et histriones fungi officio suo, dum uterque simul absolutis negotiis domum discedat. Ita est haec sententia inaudita, ut nesciam, an non possit hac novitate aliquem capere et delinire, falsam tamen omnia arguunt. Tum confusa tragoedia cum comoedia: in tragoedia enim chori carmina sunt in deorum quidem saepe honorem cantata, sed fabulae tamen semper apta, et cum degeneraret jam tragoedia, demum fabulae minus connexa; in comoedia parabasis, quae inter chorica quasi principatum quendam obtinet, secreta quidem sunt a reliqua fabula, sed non in honorem deorum maxime dicta. Carminis deinde natura, quod cum saepius sit ex poetae persona dictum atque de ejus fabulis ita jam aliquo vinculo cum co-

moedia cohaeret, de qua re post videbimus. Post chori habitus in multis fabulis ita fabulae aptus, ut locus illae sententiae plane non sit. Sed nolo multus esse in refutanda sententia, quae, ut capiat imperitos, doctorum tenere potest neminem. Roetscheri vero opinionem satis est commemorasse, qui cum egregie multa de comoedia et quomodo illa ad tempora sua se habuerit, dixisset, maluit de parabasi a priori, ut ita dicam, statuere, unde esset nata et quidnam sibi vellet, quam originem ejus pervestigare et proponere; ut enim maxime personae poetae locus fuerit in comoedia, si quando res ferret eum intrare scenam et de se dicere, necessitate aliqua semper atque bis quidem in quavis comoedia ita factum, vereor ut possit demonstrare. Platonius enim *περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν* dicit: *τὰ μὲν γὰρ ἔχοντα τὰς παραβάσεις κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐδιδάχθη, καθ' ὃν ὁ δῆμος ἐκράτει, τὰ δὲ οὐκ ἔχοντα, τῆς ἐξουσίας λοιπὸν ἀπὸ τοῦ δήμου μεθισταμένης καὶ τῆς ὀλιγαρχίας κρατούσης.* Hinc nobis licebit judicium ferre de iis Aristophanis fabulis, quae carent parabasi, Lysistrata, Ecclesiazusis, Pluto. De Lysistrata non est, quod iterum moneamus, ex earum comoediarum eam esse numero, quibus parabasis nullo modo esse potest. Dipartitus enim inde ab initio usque ad ipsum finem fabulae chorus non potest ex persona sua unam orationem omnium dicere communem et quae a versu 614—705. dicuntur, in altercatione versantur atque non sunt ad spectatores dicta. De Ecclesiazusis autem et Pluto valet, quod Platonius refert, cum pauci rebus essent potiti, parabases fieri desiisse, illa enim Ol. 96, 4, Plutus vero posterior, quem ex versibus, quos inde sumtos servavit Athenaeus, nostrum esse Meursius collegit,

Ol. 97, 4. est docta. Sed de his post data occasione dicemus, hoc loco sufficiat monuisse, priori Pluto videri non defuisse parabasim, quam in nostro etiam desideravit schol. ad v. 627: σημείωσαι ἐνταῦθα ὅτι δέον χορὸν διὰ μέσου θεῖναι μέχρις ἂν ἐκεῖνοι ἐξ Ἀσκληπίου ἐλθόντες ἀναβλέψαιεν τὸν Πλοῦτον. ἐποίησε δὲ τοῦτο οὐκ ἀλόγως, ἀλλὰ τῇ τῆς νέας κωμῳδίας συνηθείᾳ, ἐν ᾗ αἱ παραβάσεις ἐπαύσαντο. Sed quid est, quod illo potissimum loco desideret parabasim, in fabula quidem nihil deest, quod parabasi dictum censeret? Quam ille sibi fecit causam, eam tempori explendo inservire, levior est quam cui assentiri possis; altius est nobis ejus causa quaerenda. Facile ita potuit parabasi saepe supersedere atque aliis locis haberemus parabases, ubi nunc nullae sunt. Tum demum illa locum habebit, ubi finita parte fabulae spectatori aliquo tempore opus est, ut animum a ridendo remittat, quod clarissime apparet ex Equitibus, Nubibus, Avibus, ubi parabasibus singulae partes egregie distinentur. Equitum ante omnes fabula mirifice est comparata et adeo turbulenta, ut hac remissione, qui spectant, aegre possint carere. Quid post vehementes istas altercationes Cleonis cum Allantopola poterat poeta ridiculi addere, quod post tantos risus spectantibus non visum esset insipidum? Alio igitur artificio usus poeta chorum ad spectatores conversum modeste et composite facit causam dicentem, quo facto in scenam redeuntes adversarii denuo possunt contendendo risum movere, dum alter victus discedat. Altera ibi parte absoluta alteraque parabasi subjecta Demus reducitur in scenam ab Allantopola sordibus solutus, oculis rursus valens, comtus et sapiens ita denique mutatus, ut vix eun-

dem agnoscas. Quam mutationem ut capiat spectantium animus, quis non videt, quantum parabasis adjuvet? Simili modo comparatae sunt Nubes; quamvis in hac comoedia, quae minus incitato fertur impetu, minus appareat necessario ita factum, atque simul hoc loco maxime apparet, falsam esse eorum rationem, qui ascitam ob id maxime contendunt, ut aliquantum temporis effluxisse significetur: Strepsiades enim initiatus cur non statim in propatulo poterat adhiberi philosophiae? Sed parte priore finita, qua poeta proposuit, quantis imperitum falsa ista sapientia deliniat blanditiis, sequitur parabasis. Jam altera eam excipit pars, senes quidem in acie educatos parum idoneos esse huic philosophiae, cui sit ad adolescentes confugiendum; quos quibus artibus capiat, constringat, teneat, explicatur ante spectatorum oculos; quibus porro bonos evertat mores, expellat pietatem, dissolvat leges, nihil vetitum dicat, nihil, cui excusationem non possit invenire. Quae disciplina quomodo in vita privata aeque ac publica perniciosam vim suam patefaciat, religionis et pietatis sancta vincula solvat; tertiae erat partis demonstrare, quod parabasi admodum brevi interjecta videmus factum a v. 1131. — In Avibus postquam relictis Athenis, quarum res perditas videt Peisthetaerus, exitiales in ipsum aves inimicitias oratione compescuit et in benevolentiam amicitiamque convertit, ad foedus denique et societatem impulit, omnibus se accingentibus ad communem omnium urbem condendam, prior pars procul dubio est finita. Nova autem civitas ne iisdem, quibus Athenae, dispereat malis, leges videmus et sacra condi, exigique, qui frequentes ex terris ad illam ventitabant nebulo-

nes. Jam altera parabasi dicta finita sunt moenia, incredibilem brevi tempore potentiam nactum est novum imperium, Peisthetaerus in abigendis sycophantis acerbissimus sapienter ei praeest, dii pacem flagitantes adsunt, hac avium concordia ad extremam inopiam redacti terrarum imperio cedunt, dummodo cum avibus in gratiam redeant, rege tamen opus esse ad hanc auctoritatem sustentandam admonens, lepidissimae huic fabulae finem facit poeta.

In hisce fabulis cuinam rei inserviat parabasis, dubium esse plane non potest. Sed non omnes sunt ita comparatae. Aristophanis fabulae complures sunt ex partibus diversis coagmentatae magis, quam ex uno argumento ductae, parum inter se connexae, quod in ipso dissertationis nostrae initio diximus. In hisce comoediis interjecta est parabasis his ipsis partibus et aliquam certe aequabilitatis speciem iis conciliat. Adest enim iis idem chorus, i. e. turba forensis, eodem deinde modo affectus, quo cum tempore et loco posteriora prioribus annectantur et quasi in unum coalescant, praesertim si accedit aliqua argumenti similitudo, eodem ferme modo finis te afficiet, quo pars prior, et si unitatem quandam desideras, deesse eam facilius feres.

Huic choro autem maxime demandatum esse sermonem eum, quem nos tractamus, ejus natura optime demonstrat. Quae in scena prodeunt personae agendo intentae, animi ardore abreptae, partium studio, ira, odio praeoccupatae de iis, quae aguntur, recte judicare vix possunt. Sed in orchestra adsunt spectatores animo tum studiis, cum praeoccupatis opinionibus liberiore, remotiores ab iis, quae aguntur, quam in quos cadat

3*

metus aut adulatio, in ipso denique numero auctoritatem reperientes judicio. Ita nec laus bene et pie factis, nec gloria fortitudini, nec calamitatibus commiseratio, studiis denique perversis admonitio et reprehensio deest. Hic chorus, si quando intermittitur actio, remanet in scena atque per eum, qui in iis, quae sunt facta considerandis maxime est occupatus, quasi ipsa fabula ad spectatores dicit. Firma sic atque intrepida manu tragoediae graecae poeta spectantium moderatur animos atque quocunque libet trahit et fert; in rem suam convertens, quod populi tulerat vita et indoles. Graeci enim cum nullam ferme rem, quae alicujus esset momenti, domi gererent, judicia, rei publicae administratio, hominum et publicorum et privatorum coetus et confabulationes, philosophorum disceptationes essent publica omnia, quam denique poterant illi sibi fingere rem, cui spectatores deessent? Simul ac discentium caterva stipatus philosophus in gymnasio aut foro ambulabat, turba circumstans e longinquo auscultabat aut morositatem cultumque negligentiorem irridens, aut magnam horum hominum sapientiam admirans; civitatis principes quotidie videbat, nec latebant eam mores, habitus, coetus denique eorum, ipsa denique vita privata in tanta domorum angustia parietibus non continebatur. Mitto judicia publice facta, publice gestam rem publicam, publice factos ludos victoribusque publice praemia decreta. Quare si quis volebat praesens aliquid factum a Graecis spectari, corona ei erat addenda, quae plaudendo, ridendo, admonendo, deterrendo animos aut erigeret aut dejiceret. Qui chorus cum ex natura sua suisque studiis judicet de iis, quae in scena fiunt,

quantum interfuerit poetae, ex quibus fuerit compositus, apparet. Quare in tragoedia semper eum vidcensus modicum, prudentem, ab omni perturbatione animi alienum, recte et pie factorum egregium judicem deosque pie reverentem.

Chorus ita ex vitae usu et consuetudine ductus non poterat non adesse comoediae, sed ut ipsa res ferebat, natura et indole tragici chori est dissimillimus et ferme contrarius. Comoedia joco est usa patre, hilaritateque matre; quare non certum quendam, quemadmodum tragoedia, affectat finem, sed quae est joci natura, suam ipsius fit ob causam. Ridendi materiam sibi ab hominum vitiis et studiis perversis petens, hinc sibi vindicat auctoritatem quandam et gravitatem plebis se fieri bono, sed ne hanc quidem, cuicunque est mens sana, non ridiculam. Quare chorus comicus multum abest, quin patefaciat istud negotium a poeta sibi demandatum, ut spectatorem ducat et doceat, sed totum se spectando dat, vehementius effervescit studiis, tam parum vacat stultitia, ut ipso habitu saepe eam prae se ferat, nedum id sibi negotii sumit, ut serium et grave quoddam judicium de personis agentibus ferat et spectantes admoneat. Quare vixdum e scena discesserunt histriones, cum rerum actarum plane oblitus ad spectatores convertitur, atque ut aliquid tandem de se dicatur, ipse de se dicit suamque naturam et indolem nunc graviter dicens, nunc festive, ridet. Dissolveretur autem ita omnis comoedia atque ipso poematis nomine foret indigna, nisi haec omnia, quae sine ullo fine videntur fieri, poeta ethica notione complexus inopinanti tibi integram fabulam efficeret.

Jam satis apparebit, a tragoedia parabasim esse alienam. Multa quidem ei inesse, quae tempus, quo scriptae sunt a poetis, tecte significarent, patefecerunt philologorum studia et multa etiam patefient, opinor. Nec displicebant talia Atheniensibus; Sophocles dicitur creatus esse imperator ob ea, quae de urbe defendenda egregie in Antigona dixisset; quod si tanta poetis contingebant praemia, cur hac via abstinuissent ambitiosi? Quibus quid poterat esse magis opportunum, quam parabasis, ubi ex chori persona, quae sibi de re publica viderentur, poterant dicere? Nihilo secius Pollux IV, 111. tragicam illam esse negat, quamvis addat inopinanti tibi illis verbis τραγικὸν δὲ οὐκ ἔστιν, ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν, ἐν μὲν γὰρ ταῖς Δαναΐσι τοῦ χοροῦ τὰς γυναῖκας ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρειπεῖν ἐκλαθόμενος ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας. καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἁμίλλης ποιεῖ σπανιάκις, ὥσπερ ἐν Ἱππόνῳ. Habemus hic quidem parabasim tragicam, sed ut verear, ne Pollux dictis magis intentus quam formae, 5) cujus hoc loco non minus interest, ita judicaverit, faciunt, quae ipse statim subjecit, mulieres in Danaidibus pro poeta intercessisse, quasi viri essent factae. Chori autem naturam in parabasi nunquam mutari videmus, imo vel maxime hanc partem ex chori natura esse dictam, quare quod Pollux dicit, sicut viros ibi loqui mulieres ad chori muliebris pertinet indolem, ut de se loquens masculine utatur genere vid. Herm. ad Vig. p. 715. 50. Matth.

---

5) Non potest illud defendi alio Pollucis loco IV, 105; is enim locus aperte vitiosus est.

gramm. gr. §. 436, 4. b. Quod vero de se locutus est poeta, id vereor ut magis testimonio sit, parabasim esse istam partem, quam si de suo forte habitu chorus verba faciat, quemadmodum in Aeschyli Prometh. v. 138; quamvis in comoediis hoc maxime parabasi erit vindicandum. A tragoedia autem ut judicem alienam esse parabasim, facit ipsa tragoediae natura et indoles. Tragoedia ante oculos nostros ponit magnam istam harmoniam, qua singulae animi humani virtutes concinunt in viro forti et magno, atque in comoedia cum sua spectantes spectent tempora, tragoedia Nestoris instar ad tempora praeterita animum advertit praesentemque eorum exhibet indolem virosque, quales nec nunc tempus fert, nec quod sequetur feret. Humani quidem illa nihil respuit, sed quibus hujus aetatis agitantur homines res pusillae, ipsi sunt ignotae. Hinc viri illi animo elato et invicto acerbissimas perferentes fati injurias et in ipsis calamitatibus admirandos, hinc vehementiores eorum perturbationes et casus flebiles. Chorusne vero tragoediae, qui et ipse melioris est temporis, gravitatis et auctoritatis suae plane oblitus descendere possit ad spectantium tempora, istane concio eo procedat tranquillitatis animi, ut relicta fabula ad spectatores dicere possit? Atque de quibus rebus? De poetarum certamine, de pusilla aemulorum invidia, de minutis fori calumniis! Chorusne iste benevolentiam captet suamque laudibus extollat naturam, admoneat denique spectantes, ficta in scena spectari? Sed fac, posse poetam huc perversitatis progredi, potestne fabulae filum recipere? Unde choro restituet abjectam et paene pedibus proculcatam gravitatem? Unde eum sibi ita faciet animo affectum,

ut non interesse tantum fabulae, verum agere eam possit? Comoedia vero ipsa spectantium tempora in scenam producit, nihil plane consilio et ratione fieri simulat, sed casu omnia; homines facit diversis animi perturbationibus huc illuc abreptos, atque tragoedia si id sibi proposuit, ut ostendat, natura humana et indoles quam sit egregia, regalis et propemodum divina, comoedia, quam fiat ridicula, demonstrat vilis et abjecta, ubi coeco impetu fertur, non consilio et ratione suas temperet cupidines. Quare si in tragoedia aliquam poeta vult intercedere similitudinem inter poema praesentemque rerum conditionem, cautissime hoc est faciendum et summa adhibenda diligentia, ne imprudenter admonens spectatores omnem laboris fructum perdat. Tragoediae denique uno filo deducenda erunt omnia, quo rupto prona dabitur; harmonia enim nisi harmonice nequit exhiberi, quare dum certiora inveniantur argumenta, quibus efficiatur, veram parabasim a tragoediae poetis esse factam, erroris insimulare Pollucem malim. Releganda est tragoedia ad στάσιμον suum, comoediae concedi poterit, ut praeter necessitatem, commodo si id modo fiat loco, sermonem in se suscipiat aptum magis fabulae, quam ex ipsa natum.

IV.

Aptum dico magis fabulae, quam natum ex ea hunc nostrum sermonem, quamvis aliter sentiat Schlegelius, qui ullam omnino intercedere necessitatem inter fabulam ejusque parabasim negat. cf. Vorlesungen üb. die dram. Kunst Vol. I. p. 281. Atque recte ille quidem,

si hoc tantum dicit, a fabulae forma, cur parabasis ei inserta sit, rationem repeti non posse. Sed altius investigemus, quam ipsa sibi materiam potissimum elegerit, ut inde de hac nostra disceptatione judicium feramus. Universae tamen parabasi vix licebit unam materiam invenire, quare jam de singulis nobis erit partibus dicendum. Diversa enim recipi ab illo loco ipse agnoscit Aristophanes, cum chorum Pacis ita faciat dicentem:

ἡμεῖς δ' αὖ τοῖσι θεαταῖς

ἣν ἔχομεν ὁδὸν λόγων εἴπωμεν χὤσα τε νοῦς αὐτὸς ἔχει γε

ὁδός hoc loco est, quod Avibus 1374. *ὁδὸς μελέων*, praescripta et constituta carmina pangendi via et ratio. Jam Süvernius praeterea in libello, quem de Aristophanis Nubibus conscripsit, p. 85. observavit, non tam arcte conjunctas esse parabaseos partes, ut una refficta ceterae necessario debuerint pertractari et quasi denuo pangi. Quod praeterea de hac parte dixit Vir doctissimus p. 81, plane alio modo comparatum esse chori sermonem in parabasi, quam in ceteris comoediae partibus nec ullam ibi ironiae, quam dicunt, locum dari, et minus etiam ei, qua tecte nonnunquam chorus se ipsum tangat, id quamvis non plane falsum, tamen non ab omni parte verum apparebit. Sed ne celerius de hac re statuamus, jam de singulis partibus dicamus.

De commatio non est, quod multa dicamus; spectatores jubet animum attendere iis, quae jam dicentur, histrionesque prosequitur optans, ut succedat ipsis res, aut simili modo se accingit ad parabasim dicendam eamque cum iis, quae in scena agebantur conjungit. Quare quos Hephaest. affert versus:

ἄνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν
ἐξευρήματι καινῷ
συμπτύκτοις, ἀναπαίστοις,

quos Gaisford. p. 302. parabasi vindicavit, ex commatio desumtos censeo atque non opus est ἀναπαίστοις mutare in ἀντισπάστοις. Inservit autem commatium transitui faciendo ad ipsam parabasim sive anapaestos.

Ipsi vero anapaesti chori sunt sermo ad populum, aut de poeta ejusque fabulis, aut de choro ejusque habitu et indole. In iis quidem, quae ad nostra tempora pervenerunt comoediis, plerumque de poeta dicit chorus, sunt tamen, quae alterum argumentum tractent, Avium parabasis et Thesmophoriazusarum. Ad prius quidem genus quod attinet, gravi et modesto utitur chorus dicendi genere spectantesque admonet, quam pulchre poeta componat fabulas et quantopere populi commodis consulat. Multo etiam magis compositus et modestus fit sermo, si ex sua persona poeta per chorum verba facit, quod in parabasi Nubium et extrema parte parabaseos Pacis est factum. Atque possit exsistere, qui hinc colligat, nonnunquam poetae πρόσωπον gessisse choragum. Parum tamen est istud verisimile; quis enim sanus sibi persuadeat in Nubibus Aristophanis personam duxisse chorum?

Alterius argumenti duae ad nos perlatae sunt parabases multoque aptius est hoc argumentum joco et risui, quamvis ne sic quidem modestia destituatur, atque in hoc genus non cadit illud Süvernii dictum, alienum esse hunc locum ab ironia ea, qua chorus se ipsum perstringat, quod maxime apparet in Thesmophoriazúsis. Saepius in hoc argumento versatos esse veteres

docent fragmenta quaedam, quae, cum ob metrum parum idoneum reliquis comoediae partibus minus apte tribuantur, ex parabasi videntur desumta. In horum numero est fragmentum ex Eupolidis Adulatoribus, sedecim nobis versibus adulatorum depingens mores, quod e parabasi petitum esse docent primi versus:

ἀλλὰ δίαιταν, ἣν ἔχουσ' οἱ κόλακες, πρὸς ὑμᾶς
λέξομεν· ἀλλ' ἀκούσαθ', ὡς ἐσμὲν ἅπαντα κομψοί.

Totum fragmentum ab Athenaeo VI, 236. nobis servatum exhibet Herm. Elem. doctr. metr. p. 584. Cratini deinde versiculos ex delicatulis, metro Eupolideo conscriptos suspicor esse parabaticos Athen. XV, 685, plura enim sunt de habitu epitheta, 6) quam quae histrioni possint satis commode tribui. Atque multos praeterea nobis servatos esse versus ex parabasibus mihi persuadeo; sed desunt satis certa argumenta, quibus eos huic loco vindicemus. Unum tantum commemorabimus locum, qui est Eupolidis ex Aureo genere:

ὦ καλλίστη πόλι πασῶν, ὅσας Κλέων ἐφορᾷ,
ὡς εὐδαίμων πρότερόν τ' ἦσθα, νῦν δὲ μᾶλλον ἔσει.
. . . .
ἔδει πρῶτον μὲν ὑπάρχειν πάντων ἰσηγορίαν.
πῶς οὖν οὐκ ἂν τις ὁμιλῶν χαίροι τοιᾷδε πόλει,
ἵν' ἔξεστιν πάνυ θεῖν τῷ κακῷ γε τὴν ἰδιάν.

---

6) Loquaciorem parabasim vocat, qui veterem comoediam atticam ad nos transtulit et a mortuis quasi in vitam revocavit, comes a Platen Hallermünde in prima, quam fabulae lepidissimae „die verhängnifsvolle Gabel" addidit parabasi, dicens:

Ist sie auch geschwätzig, lafst sie, denn es ist ein alter Brauch,
Gerne plaudern ja die Basen und die Parabasen auch.

Ex parabasi hos esse petitos arguit tum metrum, quod minus est vehemens, quam quod hac de causa credas jambis substitutum, tum verbum κακὸς, quod de caeritibus ab histrione vix poterat dici. Hic locus, qui ex anapaestis, qui vocantur, non potest non esse petitus; testimonio est, suscipi etiam ab hac parte consilia, quae poeta spectantibus suppeditat. In eadem materia versatur epirrhema Ranarum, et epirrhemati eum vindicat schol. ad Ran. 361. ἔθος γὰρ ἦν ἐν τῷ ἐπιῤῥήματι χρηστὰ συμβουλεύειν τῇ πόλει. Latius hunc locum patere consentit Platonius περὶ χαρακτήρων p. XI: ἥνπερ ἐν τῇ παραβάσει φαντασίαν κινοῦσιν οἱ λοιποί, ταύτην ἐκεῖνος (Εὔπολις) ἐν τοῖς δράμασιν ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ὢν ἐξ ᾅδου νομοθετῶν πρόσωπα καὶ δι' αὐτῶν εἰςηγούμενος ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως.

Ea igitur in re maxime occupati sunt anapaesti, ut de poetae consilio et mente certiores faciant spectatores atque ita suam sibi hoc genus vindicat materiam. Ita quidem parabasis maximi est momenti ad ipsam fabulam cognoscendam, quo spectet maxime; nunquam enim deest fabulis certa quaedam irridendi ratio, quae si quando videatur deesse, latere nos magis, quam abesse censenda est. Ex Ranarum hoc maxime apparet parabasi v. 648, ubi paulo tectior est parabaseos cum ceteris connexus, quem egregie explicavit Genellius in parte ultima libri, quem de scena Atheniensium conscripsit. Easdem res tractant etiam prologi novae comoediae: Terent. Andr. prol. 5.

In prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris poetae maledictis respondeat.

Quod res ferebat, est immutatum: veteris comoediae

poetae consilium suum audientibus exponebant, novae comoediae poetae fabulae argumentum narrabant, causam uterque contra adversariorum calumnias dicebat.

Non est, quod moneam, chori personam in parabasi non esse mutatam, ita ut ex choro comico subito orator nescio quis nobis exsistat, quod qui sibi persuadere potest vel primos versiculos parabaseos Acharnensium aut Pacis, quae a rusticis dicuntur, comparet cum parabasi Equitum aut Nubium, et quantum intersit, ipse videbit. Atque ita fieri postulat parabaseos ratio, si quidem recte diximus, hunc esse chori sermonem de se dicentis, naturaque sua et de poeta, qui se prodire jusserit. Qua opportunitate de se fabulisque suis aliquid in medium proferendi quam urbane sit Aristophanes usus, quam festive, quamque graviter simul exposuerit, quibus rationibus ductus ad comoediam accesserit scribendam, non est quod dicamus.

Altera parabaseos pars epirrhema cum antepirrhemate (sensu enim sunt haec conjuncta, quamvis per antistropham interjectam separata) magnopere ab anapaestis est diversa. In quibus si plerumque seria, semper urbana et composita oratione utitur chorus, in epirrhemate impetum habet vehementiorem; dictum est deinde semper ex chori persona, ipsumque chorum et ipsius animum extollit laudibus, ejus habitum, si quando est insolentior, explicat, causam denique apud spectatores agit. Hinc in epirrhema maxime cadit, ut consilia spectantibus de re publica administranda suppeditet, hinc singulorum maxime vellicatio, publico enim bono ista fieri jactat comoedia.

Etiam in anapaestis vidimus nonnunquam consilia suppeditari ad rem publicam spectantia, neque illud respui ab iis, ut de chori natura et habitu dicant; semper tamen intererit inter utramque partem; alia enim ratione anapaesti haec argumenta tractant modice semper atque ore composito dicentes, cum in epirrhemate animo indulgens libere et ingenue suam profiteatur chorus sententiam. Quam ob causam abhorret ab anapaestis acerba singulorum vellicatio, quae epirrhemati est plane propria. Hoc autem dicit scholiastes in argumento priori Nubium ed. Küster. quod sic forte recte constituetur: ὅτε δὲ ἀπελθόντων τῶν ὑποκριτῶν τοὺς ἀναπαίστους διεξήει, πρὸς τὸν δῆμον ἀπεστρέφετο . . . . . καὶ ἐκαλεῖτο τοῦτο στροφή, ἐφ' ἣν 7) τὰ ἰαμβεῖα τετράμετρα ἔλεγε. Quid inter ἀπεστρέφετο et καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο στροφή exciderit, facile quisque intelliget, mihi quidem de fine tantum est admonendum, ne quis τὰ ἰαμβεῖα pro jambico metro conscriptis habeat, est enim epirrhema trochaicis versibus scriptum. Sed ἰαμβεῖα sunt poëmata ejus generis, quod ἰάμβους veteres dixerunt, singulos vellicantia. Quae enim adjectiva in ειος finiuntur, circumflexumque in paenultima syllaba habent, propriam et naturalem alicujus rei aut personae vim et indolem significant e. g. ἀνδρεῖος quod virum decet, ἀστεῖος quod ex urbis ingenio est dictum. Ita mulieres Thesm. 656. poterant dicere, se velle ἀνδρείως ζητεῖν, i. e. strenue, ut solent viri; ἀνδρικῶς non poterant; quae enim adjectiva in κος finiuntur, genus significant, ad quod res aliqua pertinet; ἰαμβικὰ sunt quae ad jambicum genus sunt

7) Vulgo ἐκαλεῖτο τοῦτο στροφή, ἣν δὲ τὰ ἰαμβεῖα τετράμετρα.

referenda; *ἰαμβεῖα* quae ad jamborum indolem conscripta sunt et expressa. Huc referendum est, quod Aristoteles de Arte poet. IV, 1. 32. ed. Graefenh. dicit, a jambis, poematum genere, vocatum esse metrum *ἰαμβεῖον, ὅτι ἐν τούτῳ τῷ μέτρῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους*, quod si a pede jambo nomen accepisset, *ἰαμβικὸν* dici oportebat.

Superest, ut de carminibus melicis dicamus, quid maxime contineant. Duo recte eorum feceris genera, alterum epirrhemati connexum, alterum secretum; illo genere plerumque utuntur, cum singulos vellicant, e. g. in Equit. 1264; sed nonnunquam etiam in adumbrando chori habitu, Vesp. 1060; hoc in deorum plerumque cantatur honorem. Prius genus, quam arcte sit epirrhemati connexum, jam supra diximus. Si quando sine epirrhemate fiunt strophae parabaticae, plerumque singulos vellicant, e. g. in Pac. 775. Vesp. 1265; hac ratione ductus parabasin fieri censeo Acharn. 1143—1173, cum chorus subito ad Antimachi se criminationem convertat, qui nuper se impransum dimiserit.

Jam apparebit, opinor, veram esse rationem eam, qua parabasin non plane esse licentiae poetarum, sed vel maxime esse *sermonem ex natura chori dictum, intermissa actione de se dicentis et quid sibi videatur de hac rerum conditione proferentis.* Ad epirrhema quidem ita summa negotii redibit et quae proprie dicitur parabasis, erit quasi in prooemio dicta; sed hoc contra nostram sententiam parum facit; vidimus enim, non respui hanc materiam ab hac parte et quid obest, quin prius eam multo saepius etiam credamus tractatam? Omnium deinde quod majus

est, tum prima est pars post mutatos ordines stante choro dicta, tum longissima; epirrhema enim plerumque sedecim versibus continetur, atque sic, quae nomen ei det, utique digna.

V.

Sed cur huic carminum generi tam singularem et a reliquis diversam formam tribuerunt veteres, cur noluerunt omnia esse melica et canendo, quemadmodum in tragoedia hunc sermonem fieri? Cur eandem semper formam tribuere huic loco, cur in easdem semper partes describere? Cur denique, cum interiisset parabasis, brevi mutata est tota comoedia? Non erit audacior, opinor, qui inde ab origine hanc parabasi fuisse formam et hinc repetenda dicat, quae istis respondeas. Jam F. Thierschius in praef. ad Pindarum p. 168. parabasim dicit ex pristina comoedia concretam, eamque quasi in nuce inclusam exhibere. Recte ille quidem; sed doleo, quod, cur ita sibi videatur, non addiderit; multa enim mihi videntur esse, cur ita judicemus. Quae nobis jam perlustranda sunt, et, quomodo subinde mutata parabasis evaserit comoedia, investigandum, ut ita hanc de parabasi disputationem ad finem perducamus.

Primum omnium atque haud contemnendum argumentum ex utriusque materia mihi peto. In quam partem maxime rem publicam rapi videbant, a quo vitio summum omnibus periculum et detrimentum esse timendum, id maxime sibi eligebant tractandum poetae comici. Quod quidem duobus faciebant modis, tum fabulam fingentes isto vitio turbatam, qua nunc

ficto, nunc vero nomine, quanti civibus imminerent casus, admonerent, tum miro et insolito chori habitu animos capientes, dum rei novitate delectarent risumque commoverent, propositi fiebant compotes. Hinc aves, nubes, ranae, vespae, quae in choris apparent. De ranis, ubi paulo occultius est, quid sibi velit ista chori persona, egregie exposuit Genelli p. 263 sq. Si vero choro esset forma humana, aut similem quandam ferebat notam, sicut in Babyloniis, aut ex iis erat compositus, qui iis ipsis, quae irridebantur studiis injuriam aliquam perpessi erant, sicut in Acharnensibus, Equitibus, Pace, Thesmophoriazusis. Tectius tamen erat hoc irridendi genus, verbis haec declaranda erant atque hoc fit epirrhemate praemissa admonitione, quam pulchre poeta fabulas componat et quantopere populo consulat. Quid erat choro potius dicendum, cum solus ageret comoedias?

Alterum huic meae sententiae peto argumentum ex ipsa forma. A choro solo actam scimus primis temporibus comoediam, quem quomodo cogitemus aliter rem egisse, nisi ad spectatores nunc verba facientem, nunc carmina serentem? Quod supra in comoediae parte mirati sumus, quod non tota sit melica, non amplius mirabimur, si haec pars totam efficiebat comoediam. Stabilem vero esse formam istam, ad certas leges exactam, singulis partibus suam esse materiam, in qua versentur, nonne certissimo est argumento, quantum Graeci huic fabulae parti dederint, quam nos tantum non abhorrere a comoediae ingenio et natura demonstravimus? Quid, quod omnia comoediae carmina longitudine excedit parabasis eaque detracta satis exiguae sint chori partes?

Deinde quod de tragoedia tradit Aristoteles de arte poet. IV, l. 62. tetrametris eam esse prius compositam, si de comoedia etiam valeret, novo uteremur indicio, neque eo spernendo, hanc esse pristinam illam comoediae formam, de quo cum nihil constet, ne nimis huic argumento tribuamus monendum est.

Facillime porro ita explicatur, quam saepius esse comoediae indolem diximus, ut non uno tenore dicta una et integra sit, sed variis ex partibus coagmentata potius et connexa videatur. Cum enim parabasis esset operis quasi principium et finis, histrionum confabulationes adjicerentur magis joci causa quam ex rei natura; quae ante parabasim in scena dicebantur et quae post illam utrum cohaererent parum curabant poetae, si modo essent ridicula. Ridiculi enim naturam alienam esse demonstravimus ab omni fine externo, quae notio serii aliquid semper secum fert; non fugiebat tamen poetas omne poema, quod hoc quidem nomine esset dignum, necessario esse unum et integrum, atque ita etiam comoedia id sibi postea proposuit, ut unam materiam tractaret, ita tamen tractavit, quasi obtulisset se magis, quam esset a poeta quaesita. Hinc factum est, ut saepe poetae, cum jam coepissent argumenta tractare, contenti aliquo certe vinculo sermones istos connexuisse, contra Aristotelis dictum peccarent, non esse unum argumentum, quod sit de uno. cf. de arte poet. VII.

Videmus deinde chorum in Nubibus ita dicere ad populum, quasi ipse poeta loquatur; saepius hoc esse factum apparet ex Pace 734. et Vesp. 1320, poetae tamen personam gestasse unum choreutarum vix esse

credibile vidimus. Quid tandem in causa est, cur ibi potius poeta ex sua persona loquatur, quam alio loco, nisi ex eo tempore sumtum est carmen, ubi ipse poeta ducebat chorum? Aristophanis autem temporibus non amplius valuit mos iste; in Equitibus enim Cleonis personam saltavit Aristophanes, per Callistratum histrionem primas comoedias docuit, Cratetem denique, celeberrimum comoediae scriptorem, histrionem fuisse Anonymus περὶ κωμῳδίας narrat. Si vero ex istis temporibus ducta est hujus carminis natura et indoles, ubi semper chorum ducebat poeta et hujus chori carmina totam efficiebant comoediam, jam apparet, quomodo cohaereat cum isto argumento, quod parabasi vindicavimus, ut ex sua persona chorus dicat ad spectatores, cum istis poetae laudibus: unde efficiatur ista tanta utriusque unitas. Potest quidem pro ipsa fabula ex natura sua chorus dicere; qui autem fiat, ut pro ipso poeta, imo vero ipsius poetae sermone usus possit dicere, nisi ex nostra sententia vix patefiet, opinor.

Accedit postremo, quod, cum ex phallicis comoediam traxisse originem tradat Aristoteles IV, 52. ita de iis, qui ithyphallica canunt, dicat Athenaeus XIV, 622, σιγῇ δὲ διὰ τοῦ πυλῶνος εἰςελθόντες, ὅταν κατὰ μέσην τὴν ὀρχήστραν γένωνται, ἐπιστρέφουσιν [8]) εἰς τὸ θέατρον λέγοντες

8) Non ab ithyphallicis magis, quam a phallophoris comoediae origines esse repetendas post videbimus, ubi data occasione de utroque carminum genere paulo uberius disseremus: videtur tamen in phallophoria choreutarum dispositio non abhorruisse ab hac nostra parabaseos, quos Athenaeus dicit προστρέχοντας egisse et recte for-

'Ανάγετε, εὐρυχωρίαν
Τῷ θεῷ ποιεῖτε
Ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος
Διὰ μέσου βαδίζειν.

Rem habemus parabaseos simillimam, in eo carminum genere, unde comoediam originem traxisse auctor est optimus et gravissimus de hisce rebus testis, rei suffragatur cui etiam Athen. IX, 445, b. Non me fugit quidem, Schneiderum in libello de origine tragoediae et comoediae ei fidem denegare, sed cur cum eo stare non possim, post patefiet. Loquitur autem illo loco Athenaeus aperte de phallophoria publice instituta, cum schol. ad Aristoph. Acharnenses v. 242, testis sit, et publice et privatim institutam phallophoriam, quam rem non neglexisse, permagni intererat Schneideri. de origine comoed. p. 13; Aristoteles vero sero commissam comoediam dicat. Inter publicam vero et privatam non ita multum interfuisse arbitror, imo illam ex privata publicam factam, arguit ipsum carminis phallici initium, quod per vias prius istud carmen cantatum ostendit, non in theatro.

Jam si quid diximus, patet, quam ob causam Athenienses noluerint, parabasim deesse comoediae, aliamque rationem, cur tragicam fuisse parabasim neges, sed illatam in tragoediam, si quidem illata est, de qua re supra diximus. Tragoedia nata ex dithyrambis jam ipsa natura sua erat a comoedia diversa. Quae cum multas perpessa esset permutationes, ut cum Aristotele dicam, ad id tempus usque, cujus ad nos per-

---

tasse dubitaveris, utrum inde ab initio phallophori ab ithyphallis fuerint diversi.

lata sunt opera, hujus quidem qualia fuerint initia, ex ipsa tragoedia non posse inveniri nemo mirabitur, cum nullo exemplo usa, ad quod se conformaret, temporis satis longo spatio ipsa materia sibi formam invenerit. Si vero ad comoediae formam licet de tragoedia judicium ferre, tragico choro initio non minus fuit, quid ad populum diceret, quibus Bacchi fortasse magna facta praedicabat. Ita autem comparatum fuisse dithyrambum, apparet ex Plut. de mus. cap. 4. *ὅτι δὲ οἱ κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν συνίσταντο, Τιμόθεος ἐδήλωσε· τοὺς γοῦν πρώτους νόμους ἐν ἔπεσι διαμιγνύων διθυραμβικὴν λέξιν ᾖδεν, ὅπως μὴ εὐθὺς φανῇ παρανομῶν εἰς τὴν ἀρχαίαν μουσικήν*, quem locum si comparamus cum alio ejusdem libri c. 30, *Ἀριστοφάνης μνημονεύει Φιλοξένου καί φησιν, ὅτι εἰς τοὺς κυκλίους χοροὺς μέλη εἰσηνέγκατο*, poterimus jam nobis de priscis illis dithyrambis aliquam certe ideam informare. Hexametris dicebatur prima pars, deinde chorus saltabat, sed non canebat, et saepius fortasse hoc est factum in uno dithyrambo, postea aliquis sive Timotheus sive Philoxenus musicis numeris, quibus chori saltatio moderabatur, carmina adaptavit chorumque haec inter saltandum succinere jussit. Iamborum usum idem Plut. c. 28. a Crexo dithyrambis esse vindicatum narrat. Istos autem ad spectatores sermones Thespis choro ademtos personae dedit. Ex hujus personae cum choro confabulatione Aeschyli natum est inventum ex diverbiis constituentis tragoediam et hanc ob causam alteram adsciscentis personam, ejusque ita poeseos generis auctor exstitit, quod dramaticum vocamus.

VI.

Comoediae autem origines ab tragoediae initiis plane erant diversae. Aristoteles de arte poet. 5: Latent ejus initia et tum demum aliquot ejus ferebantur poetae, cum formas jam quasdam esset nacta atque sic nec quis personas ei dederit, nec quis confabulationes (λόγους) 9) aut complures actores et alia hujus generis satis compertum habemus: argumenta primus Epicharmus et Phormis tractaverunt; ex Sicilia enim illud allatum est, Athenis vero Crates primus sermones magis generales a jamborum natura recedens composuit et justa argumenta. Jam ante Cratetis igitur tempus comoedia complures habebat histriones atque sermones, deerat tamen ei idoneum argumentum, i. e. ipso Aristotele teste πράξεως μίμησις. Personae quidem in scenam prodibant variosque inter se sermones serebant, nec hos satis inter se cohaerentes nec ad certum quendam finem factos. Quae comoediae, si hoc nomine licet eas compellare, cum in irridendo totae essent positae, duabus rationibus rem poterant agere, aut certos quosdam homines, eos maxime, qui muneribus functi omnibus erant noti, in scenam producentes, qui confabulationibus suis mores suos patefacerent, aut hominum ignotorum colloquia fingentes, qui civium mores acerbe et petulanter notarent, quod genus his temporibus videtur maxime aptum. Hos sermones tum excipiebat parabasis, qua consilium suum patefaciebat et proponebat poeta

9) πρόλογοι quid sint in re, quae argumento caret, non intelligo; tuetur tamen haec Graefenhanius.

(se κωμῳδεῖν τὰ δίκαια Acharn. 655.). Quod complures λόγους agnoscat Aristoteles ante Cratetis tempus, alia jam histrionum confabulatio excipiebat parabasim et fortasse recte colligas, jam tum duas fuisse unius chori parabases, quam Aristophanis videmus esse rationem, ita ut tres fiant fabulae partes.

Ad hoc tempus referendi sunt Magnes et Chionides, qui primi innotuere comoediae scriptores, quod si minus Aristophanes in Equit. 524, Aristoteles probat de arte poet. III. l. 17, nam si propterea sibi vindicabant Syracusani comoediam, quod ejus apud se inventor Epicharmus Atticos scriptores omnes aetate antecessisset, horum primos debebant conferre, unde de Magnetis aetate licebit aliquid efficere. Epicharmus floruit circa Ol. 77, 1. Bentlej. diss. Phalarid. p. 259. iisdem quibus Hiero temporibus, qui Syracusarum ab Ol. 74, 3. — 77, 1. a Chr. n. 477—467. gessit imperium. Magnetem vero Aristophanes in Equit. v. 524, quae Ol. 88, 4. est commissa, senem non amplius tulisse spectantium plausus refert, atque dum Cratinum deinde commemorans hunc etiam superstitem dicit, Magnetem vita jam fuisse defunctum auctor est; non ita pridem tamen obiisse diem supremum possumus conjicere, cum de eo ita loquatur, ac si spectantibus non possit non esse in memoria, quare quatuor aut quinque annis ante certasse possumus sumere, sed non tulisse palmam. Qui si quinquaginta ferme annos natus obiit diem supremum, quo tempore Epicharmus florebat, vix natus fuerit, floruerit circa Ol. 83. Quibus constitutis Suidae et Eudociae spernemus testimonia, qui tribus ante bella Persica annis eum vixisse auctores sunt, i. e. Ol. 71, 4. anno

a Chr. n. 493, atque eorum relationem recte fortasse retulerimus ad Atticorum obtrectationem, qui ut sibi comoediae inventae gloriam vindicarent, poetam suum ad remotiora tempora referebant.[10])

Ad ultima ita, de quibus nobis traditum est, tempora comoediam Atticam persecuti, quae reliqua sunt conjecturae erant; satis enim diversum est carmen phallicum ab hac qualicunque Magnetis et Chionidis comoedia. Quod autem Aristoteli ante Magnetem et Chionidem, qui tamen non ita multum sunt ab ejus temporibus remoti, ne unus quidem innotuerit comoediae scriptor, testimonio est, quam parum in honore fuerit comoedia; multo itaque diutius est ex tempore dicta, quam tragoedia, et si quas formae mutationes perpessa est, non ex ipsius indole et natura has factas magis, quam ad exempla ab aliis carminibus petita, licet suspicari. Ita jam Horatius judicavit in arte poet. v. 281. dicens, postquam tragicorum inventa commemoraverat:

Successit vetus his comoedia, non sine multa
Laude, sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi.

A tragoedia itaque cum sibi personas et sermones petiisset comoedia, apparet, qui potuerit fieri, ut retineret istam chori ad populum quasi quandam orationem, cum in tragoedia paulatim in sermones soluta interierit. Facile enim patiebatur populus nova addi, cum abjici usitata eaque maxime, in quibus indoles

10) Moleste fero, me non potuisse cognoscere, quomodo Meineke in quaestionibus scenicis de eo judicet; postulanti enim mihi, ut hunc libellum mihi compararet librarius, respondit, divendita esse prioris fasciculi exempla omnia.

comoediae imprimis cernebatur, aegre procul dubio tulisset. Eadem ratione postea res sese habuit, cum ad Siculae comoediae effigiem Crates Atticam conformaret, quae publici juris erant, populo adimere non est ausus, quare parabasis ei recipienda erat, ne eorum, quae populus amabat, desiderium praejudicio ei foret. Hic eorum, quae usu venerant, amor, ut tragoediae adjunxit fabulam satyricam, ita comoediae parabasim servavit, qui et ipse effecit, ut praeter hanc novam dithyramborum et phallicorum formam vetus eorum forma coleretur.

Jam ad pristinam illam comoediae formam, i. e. ad ipsa phallica, delati reliquum est, ut horum naturalem vim et indolem pervestigemus, quam si non ab omni parte explanare et exponere licebit, parcius enim hoc genus commemoravere scholiastae, hoc tamen apparebit, non alienam eam fuisse a parabaseos natura. In Bacchi honorem hoc carmen non minus quam dithyrambus canebatur, hujusque Dei laudes, neque tamen seriae, quales in dithyrambo, sed ludicrae primum ejus erant argumentum: ebrietatis enim et lasciviae prae se ferebat speciem et per ebrietatem Deum hujus datorem laudibus extollebat: Aristoph. Acharn. 243. et schol. maxime ad h. l. Aliud deinde huic conjunctum erat argumentum; singulos enim vellicabat et irridebat hoc genus Athen. XIV, 622, c. Ita factum est, ut iambicis poematis Casaubonus de sat. poes. p. 14. hoc genus annumeraret, et videntur quidem jam veteres ita judicasse; Athenaeus enim eo ipso, quem commemoravimus, loco hoc genus statim post αὐτοκαβδάλους commemorat, qui et quorum poemata postea iambi sunt dicti. Non facit autem con-

tra hanc sententiam fragmentum, quod Athenaeus VI, 253. ex phallico servavit. Demetrii enim laudes cum Cereris conjunguntur laudibus, quae Baccho est familiarissima, atque, ut ita dicam, necessaria: Ran. 382. Sed latius etiam possumus proferre hujus loci terminos, ita ut deorum omnium suscipiat laudes. *Αἰσχρολογίαν* maxime in hoc genus cadere, facile apparet.

Jam vero ad formam videmus duo fuisse phallicorum genera, ithyphallos et phallophoros, quorum habitum depingit Athenaeus XIV, 622. b. *οἱ ἰθύφαλλοι καλούμενοι προςωπεῖον μεθυόντων ἔχουσι καὶ ἐστεφάνωνται χειρῖδας ἀνθινὰς ἔχοντες· χιτῶσι δὲ χρῶνται μεσολεύκοις καὶ περιέζωνται ταραντῖνον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν.* et c. *οἱ δὲ φαλλοφόροι προςωπεῖον μὲν οὐ λαμβάνουσι, προπόλιον δὲ ἐξ ἑρπύλλου περιθέμενοι καὶ παιδέρωτας ἐπάνω τούτου ἐπιτίθενται στέφανόν τε δασὺν ἴων καὶ κιττοῦ καυνακάς τε περιβεβλημένοι παρέρχονται.* Non potest autem phallophororum cultus ab ultimis temporibus esse petitus; *καυνάκη* enim, nam ita videtur legendum, est vestis barbara, ampla, subsutis pellibus, Vesp. 1131 sqq., quae Aristophanis demum temporibus ab Atheniensibus videtur esse recepta. Ithyphalli deinde, eodem Athenaeo auctore, silentio per portam intrabant et cum in mediam orchestram pervenissent, ad spectatores convertebantur. Phallophori contra adventabant saltantes atque diversis quidem a partibus a parodo alii, alii a porta media et deinde progressi stantes vellicabant. Erat igitur ithyphallus carmen *ἐμβατήριον*, phallophororum vero *στάσιμον*. Athenaeus VI, 253, c. dicit *προςόδια καὶ χοροὶ καὶ ἰθύφαλλοι μετ' ὀρχήσεως καὶ ᾠδῆς ἀπήντων αὐτῷ.* Ipsum deinde ithyphallici carminis initium Athen. XIV, 622. c. pro hac sententia fa-

cit, neque magnopere repugnat ista ad spectatores conversio; nam si in viis olim istud cantabatur, quod ex ipsis verbis apparet, ubi in theatro committebatur ad spectantes, quasi turbam forensem, iis convertendum erat atque ita canendum carmen. Non debebat igitur Kannegiesser. phallica in universum ad pompam illam referre p. 213, quem secutus Schneider. effecisse sibi visus est, non posse comoediae origines a phallicis repeti. Phallophororum autem ingressus a diversis partibus potest factus videri in ejus temporis memoriam, quo ex tempore atque raptim concurrentibus hinc et illinc choreutis, hoc carmen cantabatur. Erat autem materia ista utrique communis, nisi forte quis ithyphallico vindicaturus est solam deorum laudem, sed diversa si fuisset a phallophororum carmine, certiores de hac re nos faceret Athenaeus. Metro autem conscriptum videtur ithyphallicum fuisse constanti, quae enim ejus servata sunt fragmenta iambicis versibus, trimetris conscripta sunt, quorum singulos excipiunt versus trochaici dimetri brachycatalectici, nisi quod Athen. XIV, 622. c. primus versus, si quidem est integer, dimeter est iambicus. Longe autem aliter comparatum est phallophororum carmen. Versibus orditur iambicis trimetris Athen. XIV, 622. quos excipiebat hymnus:

ἀκήρατον
κατάρχομεν τὸν ὕμνον.

Hunc hymnum procul dubio habemus in Aristoph. Acharnensibus, ubi carbonariorum impetu finis ei imponitur, nam cantata esse illa tum carminis natura indicat, tum diserte dicit Aristophanes Acharn. v. 261. Quae hanc secuta sit pars, eam Athenaeus di-

cit esse a stantibus recitatam, quod certo nobis potest esse testimonio, uno atque stabili eam conscriptam fuisse metro, et hanc in singulis traducendis esse versatam. Epirrhematica itaque erat huic loco natura, esse enim in epirrhematis partibus vidimus, ut, quae a singulis choro illatae sint injuriae, conqueratur eorumque perversitatem nunc perstringat, nunc rideat, quare si ab hac phallici parte epirrhemati licet originem petere, conjicere licet, epirrhematis versum ab hoc loco non fuisse alienum. Metrum iambicum ad sola melica redibit, quae hoc metro conscripta videmus in Acharnensibus, atque haud injuria phallophororum naturam in eo posueris, ut iambicae hujus carminis partes cantatae sint: Plut. de mus. 28, cum veri iambi recitarentur atque ithyphallicum medium quendam inter utrumque tenebit locum trimetris conscriptum, sed trochaicas istis partes admiscens. Melicas autem parabaseos partes si intra iambicum metrum se non continere videbimus, rhythmorum mutationem agnoscemus, quod non est incredibile, cum simili modo dithyrambi metrum videamus solutum atque immutatum. Quod si igitur singulis phallophoriae partibus constitueris antistrophum, quatuor ultimas habebis parabaseos partes atque vetustissimam parabaseos formam et ideam. Hae enim partes iambicam istam ideam suscipiunt, ipsa vero parabasis, quae arctiore sensu vocatur, tum ob sermonem compositum, tum ob ipsam materiam ab ea aliena est, nam nec illud est poetae iambici, spectantes admonere, ut lubentes animum advertant, nec eorum quae pulchre dixerit eos commonefacere, nec poterat chorus habitum depingere et naturam, priusquam abjecto cultu

isto antiquo pro tempore et consilio personam assumere poterat. Hac ei data venia novus ei est vigor adjectus atque vis ea, quae ab exiguis istis initiis profecta nobis constitueret comoediam. Utrum inter duo ista phallicorum genera inde ab origine quasi familiaritas quaedam intercesserit et quomodo omnino inter se se habuerint, vix satis dicas. Quae autem res tibi videri possit explicatu difficillima, abjectus phallus ei multum detrahitur, Athenaeo tradente, phallophorum non saltasse cum choro.

His igitur initiis usam comoediam a rusticis post condita vina primo cantatam omnes tradidere. Horat. Epist. II, 1, 140. Athen. II, 40. b. Virg. Georg. II, 380 sq., quos si etymologia fortasse maxime adductos ita tradidisse censeas, a κώμη, pagus, istud verbum derivantes, cum aliam Athenienses sequerentur: Aristoteles de Arte poet. III, 20. omnium consensui tamen aliquid tribues. Accedit etiam Anonymus περὶ κωμῳδίας XI, qui ad Lenaea eam refert, quo festo musto donati sint victores. Hoc tempore ridendi causa carmina cantata tradunt Suid. ἐξ ἁμάξης, Harpocrat. πομπεία. schol. ad Lucian. duobus locis ad Jov. tragoed. 44. ad Eunuch. 2. Quibus si quid dare licet, comoediae initio uni Dionysi festo propriae, postea etiam reliquis sunt commissae. Euegori enim lege in Demosthenis oratione in Midiam c. 4. comoedias constat et Dionysiis et ἐν ἄστει et Dionysiis ἐν Πειραιεῖ et Lenaeis esse doctas. Exculta quomodo sit, exponit Euanthius de tragoedia et comoedia graeca. „Comoedia „fere vetus, ut ipsa quoque tragoedia, simplex olim „carmen fuit, quod chorus circa aras fumantes nunc „spatiatus, nunc revolvens gyros cum tibicine concinebat. Sed primo una persona substituta est cantoribus, quae respondens alternis choro locupletavit variavitque rem musicam, tum altera, tum tertia.“ Unam primo esse susceptam vereor, ut magis ex tragoediae analogia, quam verius dixerit, de quibus supra diximus.

Parum in honore habitum id genus poesis omnes consentiunt. Aristoteles de Arte poet. III, 22. se-

candum quosdam, dicit nomen traxisse id genus a κώμη, quod urbe scurrile istud et rusticum genus aspernante per vicos erraverint huic nostrae poesi operam navantes, et V, 8, parum eam cultam dicit, ita ut qui primi ejus ferebantur poetae, dubitaret, num essent poetarum nomine satis digni V, 11. Non possum enim mihi persuadere οἱ λεγόμενοι αὐτῆς ποιηταί esse, quod vult Graefenhanius, qui ista verba exprimit: die eigentlichen Comödiendichter: imo vero est potius ihre so genannten Dichter, cf. Matth. gramm. gr. §. 557, 1. editionis secundae et Hoogeveen ad Vig. p. 15. ed. Herm. Privatim deinde ex Aristotele discimus comoedias editas, qui quando coeperint publice dari, si quis quaerat, iis procul dubio temporibus respondeo, ex quibus poetarum servata sunt nobis nomina, i. e. non ita multum post Ol. 80; quod si cum historia rei publicae Atheniensium comparaveris, videbis, his ipsis temporibus maxime auctam esse plebis licentiam; post Cimonis enim mortem Ol. 82, 4. Pericles, qui summa tum apud omnes auctoritate gaudebat, ut potestatem suam augeret, plebis licentiae indulsit ejusque studiis blanditus est. Publice comoediis honore constituto non amplius latuerunt nomina. Neque prius justum poetarum certamen fieri poterat, quam honos ipsis publice decretus ad contendendum eos incitaret. Magnetem hoc certamine saepissime vicisse auctor est Aristoph. Eq. 521. Bis eum palmam tulisse dicit Suidas, sed parum bonis eum in Magnete auctoribus usum jam supra diximus. Ad haec tempora necessario sunt referenda, quae Anonymus περὶ κωμῳδίας dixit p. XIII. οἱ περὶ Σαννυρίωνα 11) πρόσωπα εἰσῆγον ἀτάκτως καὶ μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον. ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν συστήσας τὴν ἀταξίαν. Aristoteles narrat, Cratetem, qui iisdem cum Cratino vixit temporibus, primum argumenta fe-

11) Aperte falsum est Sannyrionis nomen, Sannyrio enim post Cratinum vixit. Cum Meinek. Quaest. scen. Fasc. II. p. 63. fortasse Σουσαρίωνα legendum est.

cisse comica. Insolitum chori habitum his certe temporibus atque satis diu quidem in usu fuisse, apparet ex Aristophane, qui in Equitibus de Magnete dicit:

πάσας δ' ὑμῖν φωνὰς ἱεὶς καὶ ψάλλων καὶ πτερυγίζων
καὶ λυδίζων καὶ ψηνίζων καὶ βαπτόμενος βατραχείοις
οὐκ ἐξήρκεσεν.

Minutis in rebus irridendis priorem comoediam esse versatam, Aristophanes in Pace 739 dixit, quod tamen ad priora magis tempora, quam ad Cratinum et Cratetem pertinere arbitror; acerbissimum enim Cratinum fuisse in illudendo Platonius, περὶ χαρακτήρων testis est et Aristophanes sibi tribuit, quod erat temporibus dandum; nam tum demum, cum plebis licentia nullis amplius frenis coerceretur, comoedia poterat maximis rebus manum admovere[12]). Quo magis nobis dolendum est, ne unam quidem Cratini, aut Cratetis aut Eupolidis ad nos pervenisse comoediam, quarum si unam tantum haberemus, quae nunc sunt studio et diligentia conquirenda, ut aliquam certe comoediae possimus imaginem fingere, oculis cerneremus. — Sed uti cum democratia floruit vetus comoedia, ita cum ea etiam concidit. Cum pauci rebus potiti essent non amplius in populo praesidium erat poetis contra iram eorum, quos irriserant. Tum valuisse leges videntur, quae jam prius identidem latae dicuntur ne nominatim quis traduceretur in scena (schol. ad Acharn. 67. 1163. et ad Av. 1297.), sed quas poetae parum videntur curasse; fabulae enim si modo placerent populo, satis poetis erat praesidii contra divitum accusationem. Deinde non amplius suppetentibus divitiis chorus et chorica sunt imminuta, ante omnia autem parabasis abjecta cf. Plato-

12) Cum agendi licentia et traducendi consuetudine quam sit auctus poetarum impetus, omnium maxime ostendunt versus, qui a comicis poetis nomen accepere, quibus illi in parabasi praesertim utebantur; ex quibus Cratineus quam est severus et iambicae ferme ideae proximus, sed in summa severitate lentus et moderatus, Eupolideus vero quam est modestus orationique gravi, sed compositae aptus, Aristophaneus denique quam incitatus et vehemens.

nius περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν non eam magis ob causam, opinor, quod nulla facilius videbantur parte carere posse, parabasis enim ferme omnis stabili metro conscripta vix poterat esse sumtus majoris, quam quod materia parabasi propria et singulorum et universae rei publicae mores notandi erat erepta. Ita videtur etiam Boeckhius censere Staatshaushaltung I. p. 493: aus einem andern Grunde blieb die Parabase weg. Habemus comoediam ita comparatam Aristophanis Ecclesiazusas, in qua praeter parabasim melica maxime desideramus. Hae enim difficiliores chori partes magna chori exercitatione egebant; quanta enim in describendis metris est ars poetarum et diligentia, tanta procul dubio chori in canendis et saltandis, et ut metro saepe sunt diversissimo et impeditissimo, ita canendi et saltandi ratio haud parvi studii et laboris erat. Ita factum est, ut ingentem saepe sumtum una tragoedia requireret, non enim theatri exornatio tanti constabat, non histrionum cultus, (quamvis haud parvi saepe constiterit), quanti haec chori exercitatio. Choreutae cum essent initio singuli, deinde universi docendi, neque praeterea iis adminiculis uterentur, quibus nos adjuvamur, a chorago autem, dum docebantur, essent nutriendi, ipsisque et chorodidascalo merces solvenda, Boeckh. Staatshaush. I. p. 488—490, quam fuerit sumtuosa ista liturgia apparet. Ecclesiazusis non fuisse parabasim ut credam, facit chori conversio ad judices 1154—1162, cum qua conferas Nub. 1115. Admodum raro singuli vellicantur, saepius tempora in universum sunt tacta. Chorus utrum in scena semper adsit, vix satis dicas, a v. 583—1127. nullae ei sunt partes et v. 728—1111. ejusmodi sunt, ut vix credam affuisse chorum. Integer tamen est numerus, novem enim a MSS. agnoscuntur mulieres, quas v. 280. et 300. ostendunt esse ex hemichorio.

Errata.

Pag. 4. lin. 12. lege: comoediam, atque, qui eam doceant.
— — — 14. Comma post Aristophane deletum post hinc et narratur ponendum.
pag. 5. lin. 2. lege: contineantur earum partes.
pag. 11. lin. 26. pro quem lege quam et pro cum, ita.
pag. 17. lin. 1. legendum προσῆκοι et ἡγεμών.
pag. 19. lin. 7. pro eum legendum cum.
— — — 25. pro subisset leg. subiisset.
— — — 27. pro esset leg. est.
pag. 20. lin. 13. pro ὀρχιστηῶν leg. ὀρχήσεων.
pag. 21. lin. 2. majore interpunctione opus est post mutatus, sicuti post γυναικῶν lin. 23.
pag. 22. lin. 6. pro dipartitus legendum bipartitus.
pag. 24. lin. 9. pro ex legendum ea.
pag. 31. lin. 27. pro sunt lege est.
pag. 32. lin. 23. pro Dipartitus legendum Bipartitus.
pag. 33. lin. 25. ? ponendum post insipidum.
pag. 34. lin. 21. Commate tantum post solvat interpungendum.
pag. 35. lin. 10. pro inserriat legendum inserviat.
— — — 14. pro connexae legendum connexis.
— — — 26. pro natura legendum naturam.
pag. 38. lin. 17. pro σήματι legendum σχήματι.
pag. 40. lin. 15. pro Tragoediae legendum In tragoedia.
pag. 42. lin. 1. legendum τόν.
pag. 48. lin. 2. verba: epirrhema — continetur parentheseos signis includenda sunt.
pag. 49. lin. ult. pro sint legendum sunt.
pag. 52. lin. 8. legendum cui rei suffragatur.
— — — 17. pro dicat legendum dicit.
pag. 54. lin. 16. lege sed hos nec.
pag. 56. lin. 7. legendum erunt.
pag. 57. lin. 13. legendum delatis.
pag. 61. lin. 27. delendum est et post Dionysiis.
pag. 62. lin. 13. pro qui lege quae.

Locorum interpunctione laborantium, qui sunt non pauci, satis habuimus gravissimos notasse.